M. ACCI PLAVTI

TRINVMMVS

RECENSVIT

ET PRAEFATVS EST

GODOFREDVS HERMANNVS

PROFESSOR LIPSIENSIS.

LIPSIAE

APVD GERARDVM FLEISCHERVM IVN.

CIↃIↃCCC.

PRAEFATIO.

Ante aliquot annos Plauti fabulas me edituruum ostenderam. Id opus vt dilatum a me esse, non abiectum, appareret, Trinummum speciminis loco edidi. Sed aliam rationem sequutus sum in hac fabula, aliam olim sequar in totius Plauti editione. Addam enim commentarium, in quo tum varias lectiones afferam, quascumque e scriptis editisque libris nancisci potero, tum emendationum caussas, sensumque locorum difficiliorum exponam. Praeterea dissertatio accedet de prosodia veterum poetarum Latinorum, de qua re egregia, sed pauca, dixit Bentleius in schediasmate de metris Terentii. Multa alia ex hoc genere idem passim in notis ad Terentium tetigit, sed breuius, neque allatis rationibus. De plurimis ne monuit quidem, quae, quo erat ingenii acumine, bene cognita habebat, atque vbique in

Terentio obseruauit. Huius viri praeclara monita qui assidua lectione multoque vsu callent, eos mihi vel nunc vel olim iudices expetam. Caeteros nihil moror. In Trinummo nunc hoc tantum habui consilium, vt lectionem emendatam exhiberem. Simul in imis paginis locos adnotaui et veterum scriptorum Trinummi versus afferentium, et criticorum atque interpretum, qui vel latere lectores, vel molestius ab iis conquiri poterant. Sed ne multa temere mutasse videar, breviter exponendum est de vniversa Plauti emendandi ratione.

Quatuor omnino sunt corruptionis in antiquis scriptoribus genera, lacunae, interpolationes, depravatio scripturae, ordinis denique verborum et versuum turbatio. Nullum horum est, quin eo Plautus pessime sit contaminatus. Eius rei gravissima caussa quaerenda est in metri prosodiaeque ignoratione: quae vti iam antiquitus librarios, ita postea multo magis criticos recentiores impulit, vt, quaecumque ab iis recederent metrorum prosodiaeque legibus, quas ipsi cognovissent probarentque, mutando, detrahendo, addendo corrigenda arbitrarentur. Hinc quo antiquior, eo ferme

emendatior Plauti lectio est. Quamobrem praeter libros MSS. maxime veterrimae editiones adhibendae sunt, quarum haud multo minor, quam scriptorum librorum auctoritas est. Eas editiones vereor ne Plauti editores nimium inique despicatui habuerint, tamquam a criticis male interpolatas. Nam etsi plerumque in titulis et praefationibus magnas prae se ferunt emendationum professiones, facile tamen quivis, qui eas diligentius tractaverit, emendationes istas in levissimis scripturae vitiis tollendis consistere animadvertet: quae sane pro illorum temporum ratione haud exigua laus erat. Ita Simonis Charpentarii editiones, quas ille e superioribus concinnavit, non minus quam hae, vnde expressae sunt, criticis admodum nihil, codicibus scriptis omnia debent. Duas enim esse Charpentarii editiones recte suspicatus est Goetzius, vt editores Bipontini adnotarunt. Prima vno volumine edita est anno CIↃICXIII. alteram duobus voluminibus Dionysius Rocius bibliopola apud Guillelmum le Rouge imprimi curavit, nec loco neque anno addito. Parisiis editam nomen bibliopolae ostendit, de quo vide Maittairium in An-

nal. typogr. T. II. p. 83. Serius, quam alteram, prodiisse, eo cognoscitur, quod quaedam accessere, quae prior non habet. Ego vtramque possideo. Vulgata lectio maxime a Camerario duxit originem, qui quam bene, tam idem male de Plauto meritus est, mutanda non monito lectore antiqua lectione. Quamquam etiam post hunc quaedam editiones scriptis codicibus propemodum pares auctoritate sunt, vt Iuntina anni CIↃIↃLIV. in qua praeter antiquiorem scribendi rationem perpaucis in locis criticorum vestigia apparent. Ac servat illa pravas versuum distinctiones, quas codices scripti et primae editiones habent. Nam omnino quae Plauti editiones aut nullas versuum divisiones, aut prorsus perversas etiam in iambis et trochaeis habent, earum antiqua est multoque magis genuina lectio, quam in quibus emendatior versum descriptio exstat. Simulatque enim metra alicuius scenae editores cognovisse sibi videbantur, emendationem adgressi sunt. Praeter MSS. Palatinos et veteres editiones, adhibendae sunt etiam criticorum observationes, in quibus quidem vt multa bonae frugi, ita plurima inania et inepta sunt. Quippe is scriptor Plautus ha-

bebatur, in quo quidvis tentari posset. Criticorum autem, qui Plauto opem tulerunt, eminent inter veteres Valens Acidalius, acerrimi iudicii homo; inter recentiores Richardus Bentleius, qui quum in notis ad Terentium saepe Plauti locis vteretur, multa tacite emendavit. Ex Trinummo quos affert, singulis locis notavi, vt constaret, quam ille lectionem probare videretur. Ex ineditis habui Ios. Merceri et Tan. Fabri breves adnotationes, quas ex Gryphianae editionis exemplo in bibliotheca Regia descriptas humanitate optimi et de litteris meritissimi senis, Christophori Saxii, accepi. Eae maximam partem in commemorandis grammaticorum veterum citationibus, atque emendationibus criticorum consistunt. In Nonii locis saepius veteris codicis mentio fit. Atque omnino cavendum est, ne quis Parisiensem Nonii editionem anni CIↃIↃCXIV. a Mercero curatam, quae optima habetur, consuluisse satis habeat. Vehementer enim dissentiunt, multasque meliores lectiones continent tum veteres Venetae saeculi XV. tum Plantiniana anni CIↃIↃLXV. et Parisiensis anni CIↃIↃXXCIII. Grammaticorum quidem citationibus nullum constat praestabilius

ad emendandos veteres scriptores adiumentum esse. E Trinummo huius rei satis sit haec duo exempla prae aliis commemorasse, v. 539. et 842. Non est tamen grammaticis nimia tribuenda auctoritas, vt in v. 251. vbi sumptuis haud dubie vera lectio est, licet bis apud Nonium exstet sumpti. Praeterea Reizii, praeceptoris mei, emendationes, ex Gronovianae editionis exemplo diligenter descriptae, multum vtilitatis attulere. Sed Reizius vt Latini sermonis cognitione omnium princeps, ita metri studiosior, quam peritior, erat. Nam quum digitis, non auribus versus metiretur, fieri non poterat, quin a Bentleio, quem alioqui maxime admirabatur, discederet, de qua re ipse exposuit in scripto eo, quo Burmannum ostendit de Bentleii doctrina metrorum Terentianorum iudicare non potuisse. Hinc neglecta accentuum cum ictibus apta coniunctione, quae res principatum tenet in Latinorum comicorum prosodia, pedes numerare satis habebat: id quod male interdum ei cessit; quippe nunc deesse aut superesse versui pedem non animadvertit, vt bis terve in Trinummo, nunc proceleusmaticum, eumque saepissime, pro tro-

chaeo admisit, quod facere coacti sunt, qui Bentleianam iamborum mensurationem reiiciunt. Interdum in ipso genere numerorum erravit, vt in act. IV. scen. 1. et in principio scenae 1. actus V. quos locos anapaestico metro scriptos putabat. Sed Reizii pleraeque in Plauto emendationes, si Rudentem excipias, ex coniecturis depromptae sunt; quas, dum legeret Plautum, adscribebat, vt aliquando eas retractaret. Quare qui eas omnes in lucem edere vellet, iniuriam facturus esset manibus viri modestissimi. In Trinummo quas Reizii emendationes recepi, hae maxime sunt. V. 338. quod edat aut bibat. V. 574. vxoremne? V. 384. 887. 1186. ordinem verborum correxit. V. 638. se addidit, laudato Titinnio in Veliterna: quot pestes, senia, et iurgia sesemet aedibus emigrarunt. Vnde hanc lectionem hauserit nescio. Locus exstat apud Nonium in senium p. 2. Male eum correxit Gulielmius in Verisim. I, 24. melius Laurenbergius in Antiquario affert in senium. Scribendum :

quot pestes, senia, et iurgia sese aedibus emigrarunt.

Versus est septenarius asynartetus, vt saepe apud Plautum. Porro v. 680. Reizius vis delevit. V. 872. census sum ei debetur: alii census cum sum correxerant V. 899. mihi delevit. V. 923. totum ex eius emendatione exhibui. V. 991. huc addidit. V. 1020. quoniam pro quia. V. 1174. foras et v. 1176. subito delevit. Alia multa praetereo, in quibus veterum librorum lectionem coniectura assequutus est. V. 1038. emendaverat strenniores, allato Epid. III. 4, 10. sed tutius mihi visum est, strenuos iam reponere.

Dicam nunc de iis, quae ego emendavi. Ac quoniam non licet nunc in singulis locis immorari, id agam, vt generatim emendationum mearum rationes et caussas exponam.

Primum igitur in Plauto hic illic aliquid addendum esse, facile metrorum leges arguunt. In quo genere emendationis quominus nimia critico audacia ac temeritas obiiciatur, tum ii loci impediunt, in quibus grammaticorum citationes lacunas supplent, vt v. 1. et 842. tum ipsa monet codicum Plauti ac veterum editionum varietas, in iisdem locis partim omitten-

tium aliquid, partim exhibentium, vt v. 901. qui in MS. Decurt. et antiquis editis abest; v. 919. 949. 988. 1061. et in fine scenae 5. actus V.

Contrario modo frequentius etiam peccatum. Pleniſſimus enim Plautus est interpretamentis atque interpolationibus, quae vti facilius in iambicis trochaicisque versibus animadvertuntur, ita magis fallunt in iis locis, quorum obscuriora metra sunt. Interpretamentorum nullum clarius in Trinummo exemplum est, quam v. 349. vbi vetus codex Palatinus veram lectionem immuni vna cum eius interpretatione immunifico exhibet. Sic v. 1188. licet ab interpretibus additum Acidalius, vis v. 680. Reizius animadvertit. Ab eodem sublata esse verba foras et subito v. 1174. 1176. supra notavi. Alia ego sustuli, vt v. 210. quem male correxerat Bentleius; v. 241. seqq. vbi haec, avarus, elegans, deinde blandus inops, quae metrum prorsus ab se segregat, vt interpretationes expuli, quarum avarus ad harpago, elegans ad cuppes, blandus ad blandiloquentulus, inops ad despoliator pertinet. V. 264. abstinendum explicatio erat

difficilioris loquutionis, procul adhibendum. V. 295. antiquis adscriptum fuerat ad meis. V. 308. addito dum, qui verbum vivit non intellexerant, accentuum rationem turbarant. V. 426. pronuper inauditum vocabulum, et quidem media syllaba brevi ex addita praepositione natum erat, quam quis ad sponsione adscripserat. V. 567. si adiectum legebatur, vt explicaretur difficilior formula. Itidem v. 632. qui. V. 727. libri omnes tabernaculo, repugnante metro. Id vt notius appositum fuerat ad contubernio, quod hoc significatu rarius est. Denique v. 1117. praecipuus locum occupaverat eum, quem possidere debebat antepotens, cuius illud explicatio est.

Interpolationibus male adnumerarunt critici versus 704. 705. 706. quos quum in veteribus libris errore librariorum e v. 691. et seqq. repetitos putarent, eiecerunt. Errori librariorum, ac perfacili quidem, nihil nisi repetitio verborum si sine dote duxeris debetur. Horum loco reposui, si ego abs te agrum acceperim, quod petitum est e v. 694. Etenim recte istos versus in antiquis libris repe-

ti clarum est ex iis, quae statim Stasimus dicit, cuius singula verba totidem pro hac repetitione argumenta sunt. Vt vnum commemorem, quod is dicit, versus meliores facit, prorsus inficetum foret, nisi in eo ipso lepor et iocus inesset, quod, quum Lysiteles ipsis Lesbonici verbis vsus esset, meliores tamen, quam ille, versus facere diceretur.

Tertium genus corruptionis positum est in depravatione ipsius scripturae. Id vbique obvium est. Atque hoc quidem leve, quod in temporibus et modis verborum peccatum erat, vt v. 121. possis; v. 557. posset; v. 923. loquare, correctum ab Reizio. His non adnumerari debet erit v. 920. quod Acidalius in erat mutari volebat. Nihil enim magis ridicule dicere potuit sycophanta, quam istic erit. Quo iste affirmat quidem rem, sed, dum dubitanter loquitur, consternatum se esse ostendit. Graviores in aliis locis corruptelae insident. Horum partim diligenti sententiae pervestigatione sanari possunt, vt v. 62. vbi haud pro tunc legebatur; v. 767. vbi is scit pro istoc; v. 999. vbi quod pro quo. In aliis veterum lectionum vestigia emendatio-

nem monstrarunt, vt v. 140. 820. 1113. seqq. Sic v. 1025. legebatur, quorum eorum vnus surripuit. Versus 1027. in addendum fuit. Critici epithecam correxerunt, quo nihil frigidius. Nemc ignorat, quid sit apotheca. In meam, inquit Stasimus, apothecam damnum pro vino apposui: quid etiam laborem apponam? Vt hic in omissum fuit propter similitudinem praecedentis m, ita v. 299. consilia propter consident; et v. 586. i modo, propter eadem iam bis posita verba. V. 1130. librorum lectio prorsus deplorata est. Criticorum commenta minime apta. Quod reposui, tum sensus requirit, tum firmat versus 1053. Alii frequentissimi errores sunt, qui accurata moris veterum poetarum observatione facile cognoscuntur, vt permutationes verborum en et hem, quom et qui et quia et quoniam et quando ac similium, quae per compendia litterarum in libris veteribus scribuntur. Eiusmodi est neque, pro nec repositum v. 182. 351. Numquam aureae aetatis, quae vocatur, scriptores ac et nec ante vocalem ponunt. Nec magis neu: quare v. 756. ne corrigendum fuit. Contra mi apud vete-

res tragicos et comicos numquam ante consonantem invenitur: ne quis v. 924. 970. cum Reizio mi scribere, quam, quod ego feci, vulgatum verborum ordinem mutare malit. Hoc non observaverat Bentleius. Sic in Phormione I. 3. quinquies male mi pro mihi est, v. 1. 4. 6. 13. 24. Alia multa in mensura syllabarum occurrunt, quae veram falsamve lectionem arguant. Cuiusmodi est, quod prima persona verborum praesentis temporis plerumque litteram o longam habet. A qua mensura in quibusdam verbis semper, in aliis interdum, neque in quacumque versuum sede, disceditur. Simile est, quod v. 1066. legebatur vti pro vt. Vti enim semper vltima longa est, quod iam observavit Bentleius ad Horatium Serm. II. 2, 124. Addam alia quaedam, partim iam ab eodem Bentleio in schediasmate de metris Terentianis notata. Nonnumquam correpta prima syllaba occurrunt atque v. 272. 825. hercle, vt v. 52. 58. 558. nempe v. 327. 425. illico v. 1061. alia semper correptam habent, vt agri, agro, et reliqui casus, vt v. 651. Id monui propter de agro v. 559. et abs te agrum v. 694. 705. in quibus exemplis de et

te non eliduntur. In aliis verbis contractio reperitur, ignota recentioribus poetis. Sic navis, navem saepius vna syllaba in Plauto pronunciandum, vt v. 836. V. 104. addendum fuit ego. Critici male dicier scripserant. Haec forma infinitivorum numquam in versibus iambicis et trochaicis dactylum constituit. Similiter Plautum Terentiumque legenti sponte se offert alia observatio, in quinta sede trimetrorum tribrachum et dactylum, si qua fieri possit, maximeque in bisyllabis vocabulis, vitari. Hinc v. 175. fac pro face scribendum fuit. Idem vitium sublatum v. 55. 779. 978. Eadem dactyli pro trochaeo sive in iambicis sive in trochaicis versibus ratio est: qui in quadrisyllabis vocabulis frequentissime, rarius et non nisi cum quadam cautione in trisyllabis et brevioribus reperitur. Contra primus pes trimetrorum pondus ac multitudinem syllabarum desiderat. Hinc v. 762. pol addendum fuit, praesertim quum mihi in prima acuendum esset. Eadem verba eodem ictu posuit Ennius in Telamone apud Ciceronem Q. Tusc. III. 19. Ob eamdem rationem v. 771. quasi si pro quasi scribendum fuit. Huius-

cemodi observationibus plurimis augeri poterit doctrina metrorum prosodiaeque veterum Latinorum poetarum, inventa a Bentleio, non perfecta. Nam etiam Terentium alia adhuc, eaque haud levi cura indigere, vel illud argumento est, quod saepissime in versibus tetrametris iambici et trochaici, septenarii atque octonarii temere miscentur.

Quartum denique genus corruptionis, quod in verborum turbato ordine positum est, vbique in Plauto occurrit. Nam quum librarii metra comicorum prosodiamque non satis intelligerent, facillimum esse duxerunt, ordine verborum mutando eos numeros restituere, qui ipsis in quoque loco veri aptique viderentur. Accessere deinde aberrationes quoque scribentium plurimae, novis occasionem praebentes correctionibus. Sic vitia e vitiis orta ipso emendationis conatu Plautum perditum iere. Quae quum ita sint, nulla in re maior concessa Plautum emendantibus libertas est, quam in mutando ordine verborum. Ac multis quidem in locis aut ipsa librorum varietas,

aut grammaticorum citationes, vt v. 408. verum verborum ordinem monstrant. In aliis locis sensus prodit corruptionem, vt v. 65. vbi diu et bene sedem suam permutaverant, reducta ab Acidalio. Eodem errore v. 674. conare et facis; v. 842. pol et simul; v. 1171. me et te permutatas sedes habebant. Aliud simile vitium e v. 747. sustuli, qui vehementer torserat veteres et recentiores criticos. Huic ducenti ibi legebatur, quod scripserat Plautus sic:

perlongumst ducenti. hic interea
abscesserit.

Ducens Lysiteles est; hic Lesbonicus, peregre profecturus. Pleraque in hoc genere propter accentum mutanda sunt, vt v. 10. 45. 151. 185. et alibi saepissime. Tria tantum exempla paucis illustrabo. V. 909. legebatur

iamne commentatu's nomen? deum
hercle me atque hominum pudet.

Quis hic deum elidi patiatur, quod maxime audiri debebat? Itaque scribendum fuit:

iamne commentatus nomen? deum
me hercle atque hominum pudet.

V. 582. legebatur:

dic Callicli me vt conveniat. quin tu
i modo.

Conveniat in hac sede debebat in secunda syllaba, non in prima et quarta, acui. Quin tu autem e v. 584. additum erat ad explendam lacunam, postquam et in principio versus exciderat. V. 886. in libris omnibus et apud Varronem sic scriptus invenitur:

concubium sit noctis, priusquam ad
postremum perveneris.

Verum nulla vnquam librorum auctoritas vincet, vt postremum in illo quidem versus loco prima et vltima syllaba acuta a Plauto adhibitum credam. Si vltima non elideretur, ictus in mediam syllabam; si elideretur, in primam incidere debebat: ex qua regula ingens locorum multitudo corrigenda est. Grex in Cistellaria,

more maiorum date plausum postre-
ma in comoedia.

Itaque tu addidi, et scripsi pervenas, cui perveneris aut vt notius, aut versus caussa,

postquam tu excidisset, substitutum fuerat. Sic v. 94. perveniant in libris est pro pervenant.

Sed non solum singula verba, verum etiam integra hemistichia, integrique versus alienis in locis collocati reperiuntur. Sic v. 509. in MSS. legitur post v. 505. Sic versuum 361 — 366. pessime turbatus ordo erat, quem restituerunt Muretus atque Acidalius. Alia duo exempla, superioribus criticis non animadversa, ego correxi. Nam v. 829. addita erant haec, et nobiles apud homines, quae, vtcumque explicata ab interpretibus, quid isto loco sibi vellent difficile erat assequi. Mox autem versui 832. dimidium deerat, cui loco illa apprime conveniunt, vel versu 830. monstrante. Istuc igitur reduxi. Deinde v. 722. seqq. sic in vulgatis loquitur Stasimus:

fulmentas iubeam suppingi soccis:
non sisti potest.
video caculam militarem me futurum haud longius:
aut aliquem ad regem in saginam herus se coniecit meus.

credo ad summos bellatores acrem
fugitorem fore:
et capturum spolia ibi illum, qui
meo hero advorsus venerit.
egomet autem quom extemplo arcum
mihi, et pharetram, et sagittas
sumpsero,
cassidem in caput, dormibo placide
in tabernaculo.

In his coniexit Pareo debetur: sed si quoque addere debebat. Verum cur fugitor futurus est Lesbonicus, si se ad aliquem regem in saginam coniecerit? An quia otio milites effeminantur? At hoc sic demum dicere Stasimus potest, si herum suum inter fortes et strenuos numerat. Nunc id non facit. Omnino enim ignavum fore dicit. Quare quid vereatur, ne ille virtutem suam amittat? Non magis quadrant, quae de se addit Stasimus. Dum herus fugiat, se placide dormiturum in tabernaculo dicit. At, vt eum hero non oporteat praesto esse, num quisquam, praesertim ignavus, placide dormire potest instante hoste? Mutato versuum ordine sua huic loco virtus

atque elegantia redit:

fulmentas iubeam suppingi soccis:
non sisti potest.
credo ad summos bellatores acrem
fugitorem fore,
et capturum spolia ibi illum, qui
meo hero advorsus venerit.
video caculam militarem me futu-
rum haud longius.
aut aliquem ad regem in saginam si
herus se coniexit meus,
egomet, quam extemplo arcum mi et
pharetram et sagittas sumpsero,
cassidem in caput dormibo placide
in contubernio.

Illa, non sisti potest, quum de fortibus dicantur, facete ad ignaviam detorquet iis, quae sequuntur. Deinde, cedens necessitati, caculam militarem se futurum dicit. Quod quamvis ei non placeat, hac tamen spe erigitur, fore, vt herus ad aliquem regem in saginam concedat. Ibi vero se strenue armatum somno operam dare posse sperat. Clarum est, ab sensu verborum emendationem nostram efflagitari.

Sed praeterea eam firmat versus iste, in quo autem delevi. Id necessario addendum fuit, turbato semel versuum ordine. Nec qui versum iusto longiorem corrigere conati sunt, Acidalius et Reizius, omittere potuerunt: sed alter et sagittas, alter et pharetram delebat: quorum neutrum facile pro interpretamento haberi potest.

Plurimas et gravissimas emendationis molestias in Plauto ii loci obiiciunt, in quibus alia metra sunt, quam eae iambicorum et trochaicorum versuum formae, quae maxime sunt in vsu. Has enim quum solas veteres librarii et critici leviter cognitas haberent, ad horum legem caetera corrigere metra conati sunt. Huiusmodi tres sunt in Trinummo loci; primus, act. II. scena prima et pars secundae scenae; secundus, act. IV. scena 1. tertius in principio act. V. scenae 1. De singulis emendationibus dici nunc non potest. Illud vnum adnotasse operae pretium videtur, v. 235. quem e veterum librorum vestigiis correxi, simul, vt saepius solet, significare idem quod simul dum. Metra haec sunt: v. 224 — 244.

Bacchiaci; v. 245 — 252. Cretici; v. 253 — 255. trochaici septenarii; v. 254 — 259. Bacchiaci; v. 260. trochaicus septenarius; v. 261 — 267. Bacchiaci; v. 268 — 276. Cretici; v. 277. 278. Bacchiaci; v. 279 — 284. Cretici; v. 285 — 292. trochaici septenarii; v. 293 — 296. Cretici; v. 297 — 299. Bacchiaci. In his v. 268. misere, vt saepius apud Plautum, duabus syllabis; v. 280. pietatem tribus pronunciatur, similiter ac nunc Itali suum pietà pronunciant. Scena 1. actus IV. tota e trochaicis octonariis constat, quod genus aliquanto pleniores et liberiores numeros habet, quam septenarii. In act. V. sc. 1. primi duo versus trochaici octonarii sunt; tertius Creticus; reliqui trochaici septenarii. Aliud denique memorabile occurrit, epiphomena eho extra versum, v. 931. 943. vt in Graecorum poetarum fabulis. Merito igitur Marius Victorinus p. 2531. haec epiphonemata etiam in fabulis Romanis adhibita esse tradidit, de qua re dubitabam in lib. I. de metris p. 50. Haec de Plauti emendatione dixisse nunc quidem satis esto. Caeterum si qui forte sint, quibus quaedam au-

dacius mutasse videar, ii velim non ante iudicent, quam veteres libros consuluerint, in quibus plurimarum lectionum etsi saepe tenuia, aliqua tamen vestigia reperient. Quae quis non amplectatur in tam corrupto scriptore?

Quae praeter haec moneam perpauca sunt. Morem scribendi in veteribus libris vsitatum, quem Bentleius servavit, reieci. Videbatur enim, praesertim in comico poeta, illa maxime adhibenda scripturae ratio, quae ad pronunciationem proxime accederet. Scenarum divisiones eaedem sunt, quae in vulgatis libris, nisi quod veterrimorum librorum auctoritate versus 1000 — 1009. qui vulgo act. IV. scenae II. adnumerantur, III. scenam constituunt. Hinc quae vulgo actus quarti scenae III. et IV. sunt, nunc numerantur IV. et V. Versuum numerationem per totam fabulam continuari, vt in Graecorum fabulis fieri solet, commodius visum est. Sed vt vsitatis etiam citationibus accommodata esset haec editio, numeri versuum cuiusque scenae in summo margine notati sunt.

Denique, quoniam Trinummus e Philemonis Thesauro expressa est, operae pretium videtur Philemonis versus, qui ad hanc fabulam pertinere videntur, subiicere. Vnum dumtaxat fragmentum Thesauri addito fabulae nomine commemoratur; idque ab Athenaeo IX. p. 385. E.

ἐκ ἔστ' ἀληθὲς παραλογίσασθ', ἃδ' ἔχειν
ὀψάρια χρηστά.

Scribendum videtur:

οὐκ ἔστ' ἀληθῶς σε παραλογίσασθ', ἃδ' ἔχειν
ὀψάρια χρηστά;

Nisi Philemo scripsit, ὥστ' ἔχειν. Plautus v. 472.

edisne, an incoenatus cum opulento
accubes?

Ex incertis fragmentis fortasse haec ad Thesaurum pertinuere: XXX.

ἀθάνατόν ἐστι κακὸν ἀναγκαῖον γυνή.

Id fortasse exstitit in illo loco, vbi Plautus v. 55. habet:

CA. eho, tua vxor quid agit? ME. immortalis est.

XXXV.

βούλου γονεῖς πρὸ παντὸς ἐν τιμαῖς ἔχειν.

Plautus v. 279.

feceris par tuis caeteris factis, tuum
si patrem percoles.

LXXIX.

κρίσει δικαίᾳ καὶ δίδε καὶ λάμβανε.

Plautus v. 487.

nunc conditionem hanc, quam ego fero, et quam abs te peto,
dare atque accipere, Lesbonice, te volo.

XXIX.

κἂν δοῦλος ᾖ τις, ἐὰν ἦττον, δέσποτα,
ἄνθρωπος οὗτός ἐστιν, ἂν ἄνθρωπος ᾖ.

Apud Plautum non Stasimus, sed Philto haec dicit v. 562.

quid censes? homost.
volt fieri liber.

Quod si eo pertinent Philemonis verba, fortasse is scripsit δεσπότα.

LXXVII.

μισῶ πένητα πλουσίῳ δωρούμενον·
ἔλεγχός ἐστι τῆς ἀχορτάστου τύχης.

Plautus v. 702.

mea opera hinc proterritum te meaque avaritia autument.

M. ACCI PLAVTI

TRINVMMVS

ARGVMENTVM

(ut quibusdam videtur)

PRISCIANI

Thesaúrum suum abstrusum ábiens peregre Chármides,
Remque ómnem amico Cállicli mandát suo.
Istóc absente mále rem perdit filius.
Nam et aédis vendit: hás mercatur Cállicles.
Virgo indotata sóror istius póscitur:
Minus quó cum invidia illi det dotem Cállicles,
Mandát, qui dicat aúrum ferre se á patre.
Vt ad aédis venit, húnc deludit Chármides
Senéx, ut rediit: quóius nubunt liberi.

V. 9. Barth. Advers. XVI. 29.

PERSONAE

LVXVRIA } Prologus.
INOPIA }

MEGARONIDES } senes.
CALLICLES }

LYSITELES adolescens.
PHILTO senex.
LESBONICVS adolescens.
STASIMVS servus.
CHARMIDES senex.
SYCOPHANTA.

PROLOGVS

LVXVRIA et INOPIA

LVXVRIA

Sequere hác, mea gnata, ut múnus fungarís tuum.

INOPIA

Sequór: sed ſinem fóre quem dicam, néscio.

LVXVRIA

Adest. én, illae sunt aédes: i intro núnc ïam.
Nunc, né quis erret vóstrum, paucis ín viam
Dedúcam, si quidem óperam dare promíttitis.
Nunc ígitur primum, quae égo sim, et quae haec etiám siet,
Huc quae ábiit intro, dícam, si animum advórtitis.
Primúm mihi Plautus nómen Luxuriae índidit:
Tum mi hánc is esse gnátam voluit Ínopiam.
Sed húc nunc ea quid ímpulsu introierít meo,

V. 1. Nonius p. 497.

V. 3. Gulielmius Trin. cap. 5.

Accípite, et date vacívas auris, dum éloquor.
Aduléscens quidam est, quí in hisce habitat aédibus:
Is rém paternam me ádiutrice pérdidit.
Quoniam eí, qui me aleret, níl video esse réliqüi,
Dedi eí meam gnatam, quícum is aetatem éxigat.
Sed de árgumento ne éxspectetis fábulae.
Senés, qui huc venient, hí rem vobis áperient.
Huic Graéce nomen ést Thesauro fábulae:
Philémo scripsit, Plaútus vortit bárbare:
Nomén Trinummo fécit. Nunc hoc vós rogat
Vt líceat possidére hanc nomen fábulam.
Tantúmst. Valete, adéste cum siléntio.

V. 16. 17. Bentleius ad Ter. Heaut. prol. 1.
V. 18. 19. Bentleius ad Ter. Heaut. prol. 7. Phorm. prol. 26.
V. 19. Donatus ad Eun. prol. 7.

ACTVS PRIMVS

SCENA I.

MEGARONIDES

Nae amícum castigáre ob meritam nóxiam,
Immúne est facinus: vérum in aetate útile
Et cónducibile. nám ego amicum hodié meum
Concástigabo pró commerita nóxia,
Invítus, ni id me invítet ut faciám fides.
Nam hic nímium morbus móres invasít bonos.
Ita plérique omnes iám sunt intermórtui.
Sed dum ílli aegrotant, ínterim morés mali,
Quasi hérba irrigua, súccrevere ubérrume.
Neque quídquam hic vile núnc est, nisi morés mali.
Eorúm licet iam méssem metere máxumam,
Nimióque hic pluris paúciorum grátiam
Faciúnt pars hominum, quam íd, quod prosit plúribus.
Ita víncunt illud cónducibile grátiae:
Quae in rébus multis óbstant, odiosaéque sunt
Remoráinque faciunt reí privatae et públicae.

V. 23 — 26. Lib. II. ad Herenn. cap. 23.
V. 24. Festus in v. immunis. Muretus var. lect. XI. 15. Dousa IV. 21. Palmerius spicil. p. 653. Gronov. L. Pl. p. 337.
V. 31. Acidalius Trin. cap. 2.
V. 37. 38. Festus in v. remeligines et remorae.

SCENA II.

CALLICLES, MEGARONIDES.

CALLICLES

Larém corona nóstrum decorarí volo:
Vxór, venerare: ut nóbis haec habitátio
Bona, faústa, felix, fórtunataque évenat;
Teque út, quam primum póssim, videam emórtuam.

MEGARONIDES

Hic ille ést, senecta aetáte qui factúst puer,
Qui admísit in se cúlpam castigábilem.
Aggrédiar hominem.

CALLICLES

Quoía prope me vóx sonat?

MEGARONIDES

Tui bénevolentis, sí ita es, ut ego té volo;
Sin áliter es, inimíci atque iratí tibi.

CALLICLES

O amíce, salve mi, átque aequalis. út vales, Megarónides?

MEGARONIDES

Et tu édepol salve, Callicles.
Valén'? valuistin'?

CALLICLES

Váleo, et valui réctius.

MEGARONIDES

Quid agít tua uxor? út valet?

CALLICLES

Plusquam égo volo.

V. 48 — 64. Acidalius Trin. cap. 1.

MEGARONIDES

Bene hercle ést, illam tibi béne valere et vívere.

CALLICLES

Credo hércle te gaudére, si quid mi ést mali.

MEGARONIDES

Omníbus amicis, quód mihi est, cupio ésse idem.

CALLICLES

Ehó, tua uxor quíd agit?

MEGARONIDES

Immortális est.

Vivít, victuraque ést.

CALLICLES

Bene hercle núncias,

Deosque óro, ut vitae tuaé superstes súppetat.

MEGARONIDES

Dum quídem hercle tecum núpta sit, sané velim.

CALLICLES

Vin' cómmutemus? túam ego ducam, et tú meam?

Faxo haúd tantillum déderis verborúm mihi.

MEGARONIDES

Namque énim tu, credo, mi ímprudenti obrépseris.

CALLICLES

Nae tu hércle faxo túnc scias, quam rem égeris.

MEGARONIDES

Habeás, ut nactu's: nóta mala res óptumast.

Nam ego núnc si ignotam cápiam, quid agam, nésciam.

CALLICLES

Edepól, proinde ut diu vívitur, bene vívitur.

V. 65. Acidalius Trin. cap. 1.

MEGARONIDES

Sed hoc ánimum advorte, atque aúfer ridiculária:
Nam ego dédita opera huc ád te advenio.

CALLICLES

Quíd venis?

MEGARONIDES

Malís te ut verbis múltis multum obiúrgitem.

CALLICLES

Men'?

MEGARONIDES

Núm quis est hic álius praeter me átque te?

CALLICLES

Nemo ést.

MEGARONIDES

Quid igitur rógitas, tene obiúrgitem?
Nisi túte mihi me cénses dicturúm male.
Nam si ín te aegrotant ártes antiquaé tuae,
Sive ímmutare vís ingenium móribus,
Aut sí demutant móres ingeniúm tuum,
Neque eós antiquos sérvas, ast captás novos,
Omníbus amicis mórbum tu incutiés gravem,
Vt té videre aùdíreque aegrotí sient.

CALLICLES

Qui in méntem venit tíbi istaec dicta dícere?

MEGARONIDES

Quia omnés bonos bonásque accurare áddecet,
Suspícionem et cúlpam ut ab se ségregent.

V. 70. Acidalius Trin. cap. 2.

V. 73. 74. Acidalius Trin. cap. 2.

CALLICLES

Non pótest utrumque fíeri.

MEGARONIDES

Quaproptér?

CALLICLES

Rogas?

Ne admíttam culpam, ego meó sum promus péctori:
Suspício est in péctore alienó sita.
Nam núnc ego si te súrripuisse súspicer
Ioví coronam dé capite, e Capitólio,
Quod in cúlmine astat súmmo: si id non féceris,
Atque íd tamen mihi lúbeat suspicárier,
Qui tu íd prohibere mé potes ne súspicer?
Sed istúc negoti scíre cupio, quídquid est.

MEGARONIDES

Habén' tu amicum aut fámiliarem quémpiam,
Quoi péctus sapiat?

CALLICLES

Édepol haud dicám dolo.
Sunt, quós scio esse amícos; sunt, quos súspicor;
Sunt quórum haud possum ingénia atque animos nóscere,
Ad amíci partem, an ád inimici pérvenant.
Sed tu éx amicis cértis mi es certíssumus.
Si quíd scis me fecísse inscite aut ímprobe,
Si id nón me accusas, tu ípse obiurgandú's.

V. 87. Dousa IV. 21.

V. 93. Acidalius Trin. cap. 2. Bentleius ad Ter. Adel. III, 1, 10.

V. 97. Acidalius Trin. cap. 2.

MEGARONIDES

Scio,
Et, si ália huc caussa ad te ádveni, aequom póstulas.

CALLICLES

Exspécto, si quid dícas.

MEGARONIDES

Primumdum ómnium,
Male díctitatur tíbi volgo in sermónibus:
Turpílucricupidum té vocant cívés tui.
Tum autém sunt alii, quí te volturiúm vocant:
Hostísne an civis cómedis, parvipéndere.
Haec quom aúdio in te dici, ego excrucior miser.

CALLICLES

Est, átque non est, mi ín manu, Megarónides:
Quin dícant, non est; merito ut ne dicánt, id est.

MEGARONIDES

Fuitne híc tibi amicus Chármides?

CALLICLES

Est, ét fuit.
Id ita ésse ut credas, rém tibi auctorém dabo.
Nam póstquam hic eius rem confregit fílius,
Videtque ípse ad paupertátem protractum ésse se,
Suámque filiam ésse adultam vírginem,
Simul éius matrem, suámque uxorem mórtuam;
Quoniam hínc iturust ípsus in Seleúciam,
Mihi cómmendavit vírginem, gnatám suam,
Et rém suam omnem, et illúm corruptum fílium.
Haec, sí mi inimicus ésset, credo, haud créderet.

V. 103. Dousa IV. 21.
V. 106. Donatus ad Hecyram IV. 2, 4.

MEGARONIDES

Quid tu ádulescentem, quem ésse corruptúm vides,
Qui tuaé mandatus ést fidei et fidúciae,
Quin eúm restituis? quín ad frugem córrigis?
Ei rei óperam dare te fúerat aliquanto aéquius,
Si quí probiorem fácere posses; nón uti
In eámdem tute accéderes infámiam,
Malúmque ut eius cúm tuo miscerés malo.

CALLICLES

Quid féci?

MEGARONIDES

Quod homo néquam.

CALLICLES

Non istúc meumst.

MEGARONIDES

Emístin' de adulescénte has aedis? quíd taces?
Vbi núnc tute habitas.

CALLICLES

Émi, atque argentúm dedi,
Minás quadraginta ádulescenti ipsi ín manum.

MEGARONIDES

Dedistíne argentum?

CALLICLES

Fáctum: neque factí piget.

MEGARONIDES

Edepól fidei adulescéntem mandatúm malae.
Dedistíne hoc pacto ei gládium, qui se occíderet?
Quid sécus est, aut quid ínterest dare te ín manus

V. 125. 126. Acidalius Trin. cap. 2.

Argéntum amanti homini ádulescenti, animi ímpoti,
Qui exaédificaret suam ínchoatam ignáviam?

CALLICLES

Non égo illi argentum rédderem?

MEGARONIDES

Non rédderes:
Neque de íllo quidquam néque emeres, neque vénderes,
Nec, quí deterior ésset, faceres cópiam.
Incónciliastin' eúm, qui mandatúst tibi?
Ille quí mandavit, eum éxturbasti ex aédibus?
Edepól mandatum púlcre, et curatúm probe.
Crede huíc tute: hic iam tuám rem melius gésserit.

CALLICLES

Subigís maledictis mé tuis, Megarónides,
Novó modo adeo, ut, quód meae concréditumst
Tacitúrnitati clám, fidei et fidúciae,
Ne enúnciarem quoíquam, neu facerém palam;
Vt míhi necesse sít iam id tibi concrédere.

MEGARONIDES

Mihi quód credideris, súmes, ubi posíveris.

CALLICLES

Circúmspicedum te, né quis assit árbiter
Nobís: et quaeso idéntidem circúmspice.

MEGARONIDES

Auscúlto, si quid dícas.

CALLICLES

Si taceás, loquar.

V. 137. Festus in v. inconciliasti.
V. 140. Gulielmius Trin. cap. 3.

Nam quóniam hinc est proféctus peregre Chármides,
Thesaúrum in hisce démonstravit mi aédibus,
Hic ín conclavi quódam. sed circúmspice.

MEGARONIDES

Nemo ést.

CALLICLES

Nummorum Phílippeum ad tria míllia.
Id sólus solum pér amicitiam et pér fidem
Flens me óbsecravit suó ne gnato créderem,
Neu quoíquam, unde ad eum id pósset permanáscere.
Nunc si ílle huc salvos révenit, reddam suúm sibi.
Si quíd eo fuerit, cérto illius fíliae,
Quae míhi mandata est, hábeo, dotem illi únde dem,
Vt eam ín se dignam cónditionem cóllocem.

MEGARONIDES

Pro di ímmortales, vérbis paucis quám cito
Aliúm fecisti me. álius ad te véneram.
Sed ut óccepisti, pérge porro próloqui.

CALLICLES

Quid tíbi ego dicam? qui íllius sapiéntiam
Et meám fidelitátem, et celata ómnia
Paene ílle ignavos fúnditus pessúm dedit.

MEGARONIDES

Quidúm?

V. 150. Acidalius Trin. cap. 2.
V. 161. 162. Bentleius ad Ter. Eun. I. 2, 98.
V. 167 — 169. Nonius p. 525.

CALLICLES

Quia ruri dúm sum ego unos séx dies,
Me absénte atque insciénte, inconsultú meo,
Aedis venalis hásce inscribit lítteris.

MEGARONIDES

Adésurivit máge, inhiavit ácrius
Lupus; óbservavit: dúm dormitarét canes,
Gregem úniversum vóluit secum avórtere.

CALLICLES

Fecísset edepol, ni haéc praesensissét canes.
Sed núnc rogare hoc égo vicissim té volo:
Quid fúit officium meúm me facere, fác sciam.
Vtrum índicare me ei thesaurum aequóm fuit,
Advórsum quod me eius óbsecravissét pater;
An ego álium dominum páterer fieri hisce aédibus?
Qui emísset, eius éssetne ea pecúnia?
Emi égomet potius aédis, argentúm dedi
Thesaúri caussa, ut sálvom amico tráderem.
Neque ádeo hasce emi míhi, neque usuraé meae:
Illí redemi rúrsum: a me argentúm dedi.
Haec súnt, seu recte, seú pervorse fácta sunt:
Egomét confiteor fécisse haec, Megarónides.
En meá tibi malefacta; én meam avaritiám tibi.
Hascíne propter res máledicas famás ferunt?

MEGARONIDES

Pausá. vicisti cástigatorém tuum:
Occlústi linguam: níhil est, qui respóndeam.

V. 172. Acidalius Trin. cap. 2. Petrus Valla.
V. 174. Acidalius Trin. cap. 2.
V. 177 — 179. Acidalius Trin. cap. 2.
V. 187. Dousa IV. 22. Gronov. Obss. IV. 3. p. 538.

CALLICLES

Nunc égo te quaeso, ut me ópera et consilió iuves,
Commúnicesque hanc mécum meam provínciam.

MEGARONIDES

Pollíceor operam.

CALLICLES

Ergo úbi eris paullo póst?

MEGARONIDES

Domi.

CALLICLES

Numquíd vis?

MEGARONIDES

Cures tuám fidem.

CALLICLES

Fit sédulo.

MEGARONIDES

Sed quíd ais?

CALLICLES

Quid vis?

MEGARONIDES

Vbi nunc adulescéns habet?

CALLICLES

Postículum hoc recépit, quom aedis véndidit.

MEGARONIDES

Istúc volebam scíre. i sane núnc ïam.
Sed quíd ais?

V. 191. Gulielmius Trin. cap. 3. Gronov. Obss. IV. 3. p. 539.
V. 194. 195. Nonius in v. recipere p. 384. in v. receptitium p. 54. Gellius XVII. 6.
V. 197. Acidalius Trin. cap. 2.

CALLICLES

Quid?

MEGARONIDES

Nunc vírgo nempe apud te ést.

CALLICLES

Ita est:

Iuxtáque eam curo cúm mea.

MEGARONIDES

Recté facis.

CALLICLES

Num etiám, priusquam abeo, mé rogitaturú's?

MEGARONIDES

Vale.

Nihil ést profecto stúltius, neque stólidius,
Neque méndaciloquiús, neque argutúm magis,
Neque cónfidentilóquius, neque periúrius,
Quam urbáni assidui cíves, quos scurrás vocant.
Atque égomet me adeo cum íllis una ibidém traho,
Qui illórum verbis fálsis acceptór fui:
Qui omnía se simulant scíre, nec quidquám sciunt.
Quod quísque habet ín animo, aút habiturus ést, sciunt:
Sciúnt, quid in aurem rex reginae díxerit:
Sciúnt, quod Iuno fábulata est cúm Iove:
Neque fácta, neque futúra, tamen illí sciunt.

V. 198. Nonius in v. iuxta p. 522.

V. 205. Dousa IV. 22.

V. 208. 209. Acidalius Trin. cap. 2. Canter. nov. lectt. II. 12. p. 552.

V. 210. Bentleius in schediasmate de metris Terentianis.

Falsón' an vero laúdent, culpent, quém velint,
Non flócci faciunt; dum íllud, quod lubeát, sciant.
Omnés mortales núnc hunc aibant Cálliclem
Indígnum civitáte hac et se vívere,
Bonís qui hunc adulescéntem evortissét suis.
Ego de eórum verbis fámigeratorum ínscius
Prosílui amicum cástigatum innóxium.
Quod si éxquiratur úsque ab stirpe auctóritas,
Vnde quídque auditum dícant, nisi id appáreat,
Famígeratori rés sit cum damno ét malo.
Hoc íta si fiat, público fiát bono.
Paucí sint faxim, quí sciant, quod nésciunt,
Occlúsioremque hábeant stultiloquéntiam.

ACTVS II.

SCENA I.

LYSITELES

Multás simitu rés in meó corde vórso:
Multum ín cogitándo dolórem indipíscor:
Ego me ét concoquo, ét macero, ét defetígo.
Magíster mihi éxercitórque animus híc est.
Sed hóc non liquét, nec satís cogitátumst,
Vtrám potius hárum mihi ártem expetéssam;

V. 214. Acidalius Trin. cap. 2. Gulielmius Ver. I. 24.
V. 216. Acidalius Trin. cap. 2.
V. 219. 220. Acidalius Trin. cap. 2. Gulielmius Trin. cap. 1.
V. 229. Acidalius Trin. cap. 3.

Vtram aétati agúndae arbitrér firmiórem;
Amórine me án rei obsequí potius pár sit;
Vtra ín parte plús sit volúptatis vítae
Ad aétatem agúndam.
De hac ré mi haud liquét satis: ni hoc sic faciam, opínor:
Simúl rem exputém, iudex sím reusque ad eám rem.
Ita fáciam: ita placét mi. omniúm primum amóris
Artís eloquár, quemadmodum éxpediant: núm-quam
Amór quemquam, nísi cupidum hominém postulát se
Coniícere in plagás: eos cupít, consectátur,
Ab ré consulít, subdolé subblandítur,
Blandíloquentulúst, harpagó, mendax, cúppes,
Despóliator, látebricolarum hóminum corruptor,
Celátum indagátor. nam quóm quisquam amát quam,
Quam is éxtemplo savi sagíttis percússust,
Íllico rés foras lábitur, líquitur.
Dá mihi hoc, mél meum: sí me amas, aúdias.
Íbi ille cucúlus ecce, ócule mi, fíat et
Ístuc et si ámplius tíbi etiam vís dari,
Dábitur: illa íbi pendentém ferit: iam ámplius

V. 231. Acidalius Trin. cap. 3.
V. 237. Palmer. spicil. p. 762. Acidalius Trin. cap. 3.
V. 241. Brodaeus Misc. X. 16.
V. 249. Acidalius Trin. cap. 3. Gronov. Obss. IV. 24. p. 804.

Órat, non sát mali est, ni ámpliust, quód bibit,
Quód comest, quód facit súmptuis. nóx datur,
Dúcitur fámilia ei tóta, vestíspici,
Vnctor, auri cústos, flabellíferae, sandalígerulae,
Cántrices, cistéllatrices, núncii, renúncii,
Pánis et pení raptores: ípse, dum illis cómis est,
Inóps fit amátor.
Haec égo quom agito cúm meo animo et récolo, ubi qui egét, quam
Preti sit parvi, á me apage, amór: non placés, nil
Te ego útor: quamquam íllud dulce ést, esse et bíbere.
Ámor amara dát tibi, satis quod aégre sit; fugít forum,
Fugát tuos cognátos, fugát sese ipse á suo
Contútu: neque eúm sibi volúnt dici amícum:
Modís mílle amórem ignorándumst, procúlque est
Adhibéndum: nam quí praecipitávit in amórem,
Is péius perít, quam si dé saxo sáliat.
Apáge sis, amór: res tuas tíbi habe: mihi, amór, ne

V. 250. 251. Nonius in v. comest p. 81. in v. sumti p. 484. Bentleius ad Ter. Eun. V. 8. 57.
V. 251. 252. Nonius in v. vestispici. Palmer. spicil. p. 619. Acidalius Trin. cap. 3.
V. 256. Acidalius Trin. cap. 3.
V. 263. 264. Palmerius spicil. p. 762. Acidalius Trin. cap. 3.
V. 266. Donatus ad Eun. IV. 6, 18.

Fuás umquam amícus.
Súnt tamen, quós misere et mále habeas, quós tibi
Fécisti obnóxios.
Cértum ad frugem ápplicare ánimum, quamquam íbi animo
Grándis capitúr labos.
Síbi boni haec éxpetunt, rém atque honorém, fidem
Glóriam et grátiam. nam hóc probis est preti.
Eó mihi mágis lubet cúm probis pótius, quam
Cum ímprobis vívere et vánidicéntibus.

SCENA II.

PHILTO. LYSITELES

PHILTO

Quo íllic homo sé foras pénetrat ex aédibus?

LYSITELES

Pater, ássum, imperá, quod vis, néque ero in morá, nec
Latebróse me ego ábs tuo conspéctu occultábo.

PHILTO

Féceris pár tuis caéteris fáctis, si
Tuúm patrem pércoles. pér pietatém tuam,
Nólo ego cum ímprobis té viris, gnáte mi,

V. 268 — 275. Acidalius Trin. cap. 3.
V. 276. Nonius in v. penetrare p. 374.
V. 279 — 282. Palmer. spicil. p. 882. Acidalius Trin. cap. 3.

In via néque foro ullúm sermonem éxsequi.
Nóvi ego hoc saéculum, móribus quíbus siet.
Málus bonum málum esse volt, símilis ut sit sui.
Túrbant, miscent móres: malus, rapáx, avarus, ínvidus:
Sácrum profanum, públicum privátum habént: hiúlca gens.
Haéc ego doleo: haec súnt, quae excruciant: haéc dies, noctisque haéc tibi
Cánto, ut caveas. quód manu haud queunt tángere, tantum fás habent,
Quó manus abstíneant: caetérá rape, trahe, fuge, ét late.
Lácrumas haec mihí, quom vídeo, elíciunt, quia ego ad hóc genus
Hóminum duraví. quin prius me ad plúris penetraví? nam ii
Móres maiorúm collaudant: eósdem, quos laudánt, lutant.
Hísce ego te ártibus grátiam fácio, eas
Né colas, neú tuum ingénium iis ímbuas.
Meó modo et móribus vívito. quae égo tibi
Praécipio, cá facito. níhil ego istós moror
Facétos morés turbidós, quibus boní se
Dedécorant. haec tíbi, si capésses mea impéria,
Bona múlta in tuo péctore consident consília.

V. 290. 291. Palmer. spicil. p. 766. Cant. nov. lect. IV. 18. p. 609.
V. 299. Acidalius Trin. cap. 3.

LYSITELES

Sémper ego usque ad hánc aetatem ab íneunte adulescéntia
Tuó servivi sérvitutem império et praeceptís, pater.
Pro íngenio, ego me líberum esse rátus sum: pro imperió tuo
Méum animum tibi sérvitutem sérvire aequom cénsui.

PHILTO

Quí homo cum animo inde áb ineunte aetáte depugnát suo,
Vtrum is ita esse mávelit, ut eum ánimus aequom cénseat,
Án ita potius, út parentes éum esse et cognatí velint:
Si ánimus hominem pépulit, actumst: ánimo servit, nón sibi.
Sín ipse animum pépulit, vivit, víctor victorúm cluet.
Tu ánimum si vicísti potius, quam ánimus te, est quod gaúdeas.
Nímio satiust, té ita, ut opus est, ésse, quam ut animó lubet.
Qui ánimum vincunt, quám quos animus, sémper probiorés cluent.

LYSITELES

Ístaec mihi ego sémper habui aetáti tegumentúm meae,

V. 305. Acidalius Trin. cap. 3.
V. 307. Acidalius Trin. cap. 3. Gulielmius Ver. I. 5.

Né penetrarem me úsquam, ubi esset dámni
conciliábulum:
Né noctu irem obámbulatum, neú suum adi-
merem álteri.
Neú tibi aegritúdinem, pater, párerem, parsi
sédulo.
Sárta tecta túa praecepta usque hábui mea
modéstia.

PHILTO

Quíd exprobras? bene quód fecisti, tíbi fecisti,
nón mihi.
Míhi quidem aetas ácta ferme est: túa istuc
reffert máxume.
Ís probus est, quem poénitet, quam sít probus
et frugí bonae.
Qui ípsus sibi satís placet, nec próbus est, nec
frugí bonae.
Bénefacta benefáctis aliis pértegito, ne pér-
pluant.
Qui ípsus se contémnit, in eo est índoles in-
dústriae.

LYSITELES

Ób eam rem haec, pater, aútumavi: quía res
quaedamst, quám volo
Égo me abs te exoráre.

PHILTO

Quid id est? véniam dare iam géstio.

V. 319. Cicero ad Brutum ep. 2. ad Atticum XII. 38. cf. Dousa IV. 25.

V. 321. Bentleius ad Ter. Eun. I. 2, 25.

V. 324. Acidalius Trin. cap. 3.

LYSITÉLES

Ádulescenti huic génere summo, amíco atque aequali meo,
Mínus qui caute et cógitate suám rem tractavít, pater,
Béne volo ego illi fácere, si tu nón nevis.

PHILTO

Nempe dé tuo.

LYSITELES

Dé meo: nam quód tuumst, meúmst: omne meum autém tuumst.

PHILTO

Quíd is, egetne?

LYSITELES

Egét.

PHILTO

Habuitne rem?

LYSITELES

Hábuit.

PHILTO

Qui eam pérdidit?
Públicisne affínis fuit, an máritumis negótiis?
Mércaturamne, án venalis hábuit, ubi rem pérdidit?

LYSITELES

Níhil istorum.

PHILTO

Quíd igitur?

LYSITELES

Per cómitatem edepól, pater.

V. 331. Nonius in v. mercatus p. 212.

Praéterea aliquantum ánimi caussa in déliciis dispérdidit.

PHILTO

Édepol hominem praédicatum férme familiáriter,
Quí quidem nusquam pér virtutem rém confregit, átque eget.
Níl moror eum tíbi esse amicum cum eíusmodi virtútibus.

LYSITELES

Quía sine omni málitia est, toleráre egestatem eíus volo.

PHILTO

Dé mendico mále meretur, qui eí dat quod edat, aút bibat.
Nam ét illud, quod dat, pérdit, et illi pródit vitam ad míseriam.
Nón eo hoc dico, quín, quae tu vis, égo velim, et faciám lubens:
Séd ego hoc verbum quomílli quoidam díco, praemonstró tibi,
Vt ita te aliorúm miserescat, né tui alios mísereat.

LYSITELES

Déserere illum, et déiuvare in rébus advorsís pudet.

V. 335. 336. Acidalius Trin. cap. 3.
V. 339. Servius ad Virg. Aen. IV. 231.
V. 342. Bentleius ad Ter. Hec. I. 1, 7.
V. 343. Interpretes ad Festum in v. desiuare. Acidalius Trin. cap. 3. Dousa IV. 22.

PHILTO

Pól pudere quám pigere praéstat totidem lítteris.

LYSITELES

Édepol, deum virtúte dicam, páter, et maiorum, ét tua,
Bóna multa bene párta habemus. béne si amico féceris,
Né pigeat fecísse: ut potius púdeat, si non féceris.

PHILTO

Mágnis de divítiis si quid démas, plus fit, án minus?

LYSITELES

Mínus, pater. séd cívi immuni scís quid cantarí solet?
Quód habes, ne habeas: ét illud, quod nunc nón habes, habeás malum:
Quándoquidem nec tíbi bene esse, pótes pati, neque álteri.

PHILTO

Scío equidem istuc íta solere fíeri. verum, gnáte mi,
Ís est immunis, quoí nihil est, qui múnus fungatúr suum.

LYSITELES

Deúm virtute habémus, et qui nósmet utamúr, pater,
Ét aliis qui cómitati símus benevoléntibus.

V. 344. Nonius in v. pudet et piget p. 423.

V. 349 — 353. Heraldus in obss. cap. 44. in Ottonis Thes. vol. II. p. 1370.

V. 351. Bentleius ad Ter. Andr. II. 5, 16.

PHILTO

Nón edepol tibi pérnegare póssum quidquam, quód velis.
Quoíus egestatém tolerare vís? loquere audactér patri.

LYSITELES

Lésbonico huic ádulescenti, Chármidae huius fílio,
Qui íllic habitat.

PHILTO

Quí comedit, quód fuit, quod nón fuit?

LYSITELES

Né opprobra, pater. múlta eveniunt hómini, quae volt, quaé nevolt.

PHILTO

Méntire, edepol, gnáte: atque id nunc fácis haud consuetúdine.
Nám sapiens quidém pol ipse fíngit fortunám sibi.
Eó nemulta, quaé nevolt, evéniunt, nisi fictór malust.

LYSITELES

Múlta est opera opús ficturae, quí se fictorém probum
Vítae agundae esse éxpetit: sed hic ádmodum adulescéntulust.

PHILTO

Nón aetate, vérum ingenio apíscitur sapiéntia.
Sápienti aetas cóndimentumst: sápiens aetatí cibust.

V. 356 — 369. Muretus var. lect. XV. 13. Acidalius Trin. cap. 4.

V. 358. Bentleius ad Ter. Heaut. V. 5, 21. Adel. V. 8, 23.

Ágedum, eloquere. quíd dare illi núnc vis?

LYSITELES

Nihil quidquám, pater.
Tú modo ne me próhibeas accípere, si quid dét mihi.

PHILTO

Án eo egestatem eíus tolerabis, sí quid ab illo accéperis?

LYSITELES

Eó, pater.

PHILTO

Pol ego istám volo me rátionem edoceás.

LYSITELES

Licet.
Scín' tu illum quo génere gnatus sít?

PHILTO

Scio, apprimé probo.

LYSITELES

Sóror illi est adúlta virgo grándis: eam cupió, pater,
Dúcere uxorém.

PHILTO

Sine dote?

LYSITELES

Síne dote.

PHILTO

Vxorémne?

LYSITELES

Ita.
Tuá re salva. hoc pácto ab illo inibis summam grátiam:

Néque commodius úllo pacto ei póteris auxiliárier.

PHILTO

Egone indotatám te uxorem ut pátiar?

LYSITELES

Patiundúmst, pater:
Ét eo pacto addíderis nostrae lépidam famam fámiliae.

PHILTO

Múlta ego possum dócta dicta, et quámvis facundé loqui:
Hístoriam veterem átque antiquam haec méa senectus sústinet.
Vérum ego quando te ét amicitiam et grátiam in nostrám domum
Vídeo allicere, etsi ádvorsatus túbi fui, istac iúdico.
Tíbi permitto, pósce, duce.

LYSITELES

Dí te servassínt mihi.
Séd ad istam adde grátiam unum.

PHILTO

Quid id est autem unum?

LYSITELES

Éloquar.
Túte ad eum adeas, túte concilies, túte poscas.

PHILTO

Éccere.

LYSITELES

Nímio citius tránsiges: firmum ómne erit, quod tu égeris.

V. 382. Acidalius Trin. cap. 5.

Grávius tuum erit únum verbum ad eám rem, quam centúm mea.

PHILTO

Écce autem in benígnitate hoc répperi negótium.

Dábitur opera.

LYSITELES

Lépidus vivis. haé sunt aedes: híc habet.

Lésbonico est nómen: age, rem cúra: ego opperiár domi.

SCENA III.

PHILTO

Non óptuma haec sunt, néque ut ego aequom cénseo.

Verúm meliora súnt, quam quae detérruma.

Sed hoc únum consolátur me atque animúm meum,

Quia, quí nihil aliud, nísi quod sibi solí placet,

Consúlit advorsum fílium, nugás agit:

Miser éx animo fit: fáctius nihiló facit.

Suaé senectuti is ácriorem hiemém parat,

Quom illam ímportunam témpestatem cónciet.

Sed áperiuntur aédes, quo ibam: cómmode

Ipse éxit Lesbonícus cum servó foras.

V. 396. Gulielmius Trin. cap. 3. Canter. nov. lectt. II. 6. p. 545.

V. 399. Acidalius Trin. cap. 5.

SCENA IV.

LESBONICVS, STASIMVS, PHILTO.

LESBONICVS

Minus quíndecim diés sunt, quom pro hisce aédibus
Minás quadraginta áccepisti a Cállicle.
Estne hóc, quod dico, Stásime?

STASIMVS

Quom consídero,
Meminísse videor fíeri.

LESBONICVS

Quid factúmst eo?

STASIMVS

Comésum, expotum, exúnctum, elotum in bálineis.
Piscátor, pistor ábstulit, lanií, coqui,
Olitóres, myropolae, aúcupes. confít cito,
Quasi sí formicis tu óbicias papáverem.

LESBONICVS

Minus hércle in hisce rébus sumptumst séx minis.

STASIMVS

Quid, quód dedisti scórtis?

LESBONICVS

Ibidem unâ traho.

V. 405. Gulielmius Trin. cap. 1.

V. 408. Charisius I. p. 64. Nonius in v. papaver p. 220. Acidalius Trin. cap. 5. Dousa IV. 23.

V. 410. Acidalius Trin. cap. 5.

STASIMVS

Quid, quód ego defrudávi?

LESBONICVS

Hem, ratio máxuma est.

STASIMVS

Non tíbi illud apparére, si sumás, potest:
Nisi tu ímmortale rére esse argentúm tibi.
Sero, átque stulte, príus quod cautum opórtuit,
Postquám comedit rém, post rationém putat.

LESBONICVS

Nequáquam argenti rátio comparét tamen.

STASIMVS

Ratió quidem hercle appáret. argentum οἴχεται.
Minás quadraginta áccepisti a Cállicle,
Et ille aédis abs te accépit mancupio.

LESBONICVS

Ádmodum.

PHILTO

Pol, opíno, affinis nóster aedis véndidit.
Patér quom peregre véniet, in porta ést locus,
Nisi fórte in ventrem fílio corrépserit.

STASIMVS

Trapezítae mille dráchumarum Olýmpicum,
Quas dé ratione débuisti, rédditae.

LESBONICVS

Nempe quás spopondi.

V. 417. Cicero in Pison. 26. Muretus var. lect. IV. 19. Gronov. L. Pl. p. 345.

V. 420. Acidalius Trin. cap. 5.

V. 421. Dousa IV. 23.

V. 423. Bentleius ad Ter. Heaut. III. 3, 40.

STASIMVS

Imnó, quas dependi, ínquito.
Quas spónsione núper tu illa exáctus es
Pro illo ádulescente, quém tu esse aibas dívitem.

LESBONICVS

Factum.

STASIMVS

Vt quidem illud périerit.

LESBONICVS

Factum íd quoque est.
Nam núnc eum vidi míserum, et me eius míseritumst.

STASIMVS

Miserét te aliorum, tuí nec miseret, néc pudet.

PHILTO

Tempús adeundi est.

LESBONICVS

Éstne hic Philto, qui ádvenit?
Is hércle est ipsus.

STASIMVS

Édepol nae ego istúm velim
Meum fieri servom cúm suo pecúlio.

PHILTO

Herum átque servom plúrimum Philtó iubet
Salvére, Lesbonícum et Stasimum.

LESBONICVS

Dí duint
Tibi, Philto, quaecumque óptes. quid agit filius?

V. 426. Dousa IV. 23. Acidalius Trin. cap. 5.
V. 430. Bentleius ad Ter. Hec. I. 1, 7.

PHILTO

Bene vólt tibi.

LESBONICVS

Edepol mútuom mecúm facit.

STASIMVS

Nequam íllud verbumst, béne volt, nisi qui béne facit.

Ego quóque volo esse líber: nequidquám volo.
Hic póstulet frugi ésse: nugas póstulet.

PHILTO

Meus gnátus me ad te mísit, inter se átque vos
Affínitatem ut cónciliarem et grátiam.
Tuam vólt sororem dúcere uxorem. ét mihi
Senténtia eademst, ét volo.

LESBONICVS

Haud noscó tuum:
Bonís tuis rebus meás res irridés malas.

PHILTO

Homo égo sum, homo tu es: íta me amabit Iúppiter,
Neque té derisum véni, neque dignúm puto.
Verum hóc, ut dixi, méus me oravit fílius,
Vt tuám sororem póscerem uxorém sibi.

LESBONICVS

Mearúm me rerum nóvisse aequomst órdinem.
Cum vóstris nostra nón est aequa fáctio.
Affínitatem vóbis aliam quaérite.

STASIMVS

Satín' tu sanu's méntis aut animí tui,

V. 444. 445. Bentleius ad Ter. Eun. V. 8, 36. Palm. spic. p. 859.

Qui cónditionem hanc répudies? nam illúm tibi
Ferentárium esse amícum inventum intéllego.

LESBONICVS

Abin' hínc dierecte?

STASIMVS

Hercle íre si occipiám, vetes.

LESBONICVS

Nisi me áliud quid vis, Phílto, respondí tibi.

PHILTO

Benígniorem, Lésbonice, té mihi,
Quam núnc experior ésse, confidó fore:
Nam et stúlte facere, et stúlte fabulárier,
Vtrúmque, Lesboníce, in aetate haúd bonumst.

STASIMVS

Verum hércle hic dicit.

LESBONICVS

Óculum ego effodiám tibi,
Si vérbum addideris.

STASIMVS

Hércle: quin dicám tamen.
Nam sí sic non licébit, luscus díxero.

PHILTO

Ita tú nunc dicis, nón esse aequiperábiles
Vostrás cum nostris fáctiones átque opes?

LESBONICVS

Dicó.

PHILTO

Quid nunc? si in aédem ad coenam véneris,

V. 454. 455. Varro de L. L. VI. p. 75.
V. 466. Nonius in v. factio p. 304.
V. 467. Acidalius Trin. cap. 5.

Atque ibi opulentus tibi par forte ut vénerit,
Appósita coena sít, popularem quám vocant,
Si illí congestae sínt epulae a cliéntibus,
Si quíd tibi placeat, quód illi congestúm siet,
Edísne, an incoenátus cum opulento áccubes?

LESBONICVS

Edím, nisi si ille vétet.

STASIMVS

At pol ego, etsí vetet,
Edim, átque ambabus mális expletís vorem:
Et quód illi placeat, praéripiam potíssumum:
Neque illí concedam quídquam de vitá mea.
Verécundari néminem apud mensám decet,
Nam ibi dé divinis átque humanis cérnitur.

PHILTO

Rem fábulare.

STASIMVS

Nón tibi dicám dolo:
Decédam ego illi dé via, de sémita,
De honóre populi: vérum quod ad ventrem áttinet,
Non hércle hoc longe, nísi me pugnis vícerit.
Coena hác annona est síne sacris heréditas.

PHILTO

Sempér tu hoc facito, Lésbonice, cógites,
Id óptumum esse, túte uti sis óptumus:
Si id néqueas, saltem ut óptumis sis próximus.
Nunc cónditionem hanc, quam égo fero, et quam abs té peto,

V. 478. Gatakerus de stilo N. T. cap. X. p. 68. b. C.
V. 482. 483. Lipsius Ant. lect. I. 5.
V. 483. Turnebus Adu. XXVI. 16. Palmer. spic. p. 689.

Dare átque accipere, Lésbonice, té volo.
Di dívites sunt, deós decent opuléntiae
Et fáctiones. vérum nos homúnculi
Salíllum animai: qui eám quom extemplo amísimus,
Aequó mendicus átque ille opulentíssumus
Censétur censu ad Ácheruntem mórtuus.

STASIMVS

Mirúm, ni tu illuc técum divitiás feras;
Vbi mórtuus sis, íta sis, ut nomén cluet.

PHILTO

Nunc út scias hic fáctiones átque opes
Non ésse, neque nos tuám neglegere grátiam,
Sine dóte posco tuám sororem fílio.
Quae rés bene vortat, hábeon' pactam? quíd taces?

STASIMVS

Pro di ímmortales, cónditionem quoíusmodi.

PHILTO

Quin fábulare: dí bene vortant: spóndeo.

STASIMVS

Eheú, ubi nihil erát dicto usus, spóndeo
Dicébat: nunc hic, quom ópus est, non quit dícere.

LESBONICVS

Quom affínitate vóstra me arbitrámini
Dignum, hábeo vobis, Philto, magnam grátiam.
Sed etsi hércle graviter cécidi stultitiá mea,

V. 491 — 493. Acidalius Triu. cap. 5. Gataker ad Antonin. II. 17. p. 57. a. E.

Philto, ést ager sub úrbe hic nobis, eúm dabo
Dotém sorori: nam ís de stultitiá mea
Solús superfit praéter vitam réliqüus.

PHILTO

Profécto dotem níl moror.

LESBONICVS

Certúmst dare.

STASIMVS

Nostráinne nutricem, hére, vis, quae nos éducat,
Abálienare a nóbis? cave sis féceris.
Quid edémus nosmet póstea?

LESBONICVS

Etiam tú taces?
Tibi egó rationem réddam?

STASIMVS

Plane périimus,
Nisi quíd ego comminíscor. Philto, té volo.

PHILTO

Si quíd vis, Stasime.

STASIMVS

Huc cóncede aliquantúm.

PHILTO

Licet.

STASIMVS

Arcáno tibi ego hoc díco, ne ille ex té sciat,
Neve álius quisquam.

PHILTO

Créde audacter quíd lubet.

STASIMVS

Per deós atque homines díco, ne tu illúnc agrum

V. 511. Acidalius Trin. cap. 5.

Tuum síris umquam fíeri, neque gnati tui.
Ei rei árgumentum dícam.

PHILTO

Audire edepól lubet.

STASIMVS

Primum ómnium, olim térra quom proscínditur,
In quínto quoque súlco moriuntúr boves.

PHILTO

Apage.

STASIMVS

Ácheruntis óstium in nostro ést agro.
Tum vínum, priusquam cóctumst, pendet pútidum.

LESBONICVS

Consuádet homini, crédo: etsi sceléstus est,
At mi ínfidelis nón est.

STASIMVS

Audi caétera.
Post íd, frumenti quom álibi messis máxuma est,
Tribus tántis illi mínus redit, quam obséveris.

PHILTO

Hem, istíc oportet óbseri morés malos,
Si in óbserendo póssint interfíeri.

STASIMVS

Neque úmquam quisquam est, quóius ille agér fuit,
Quin péssume ei res vórterit, quoiúm fuit.
Alii éxsulatum abiérunt, alii emórtui,
Alíi se suspendére. en, nunc hic, quóius est,

V. 525. Petrus Valla. Gronov. Obss. IV. 3. p. 540.
V. 533. Acidalius Trin. cap. 5.

Vt ad íncitas redáctus.

PHILTO

Apage a me ístum agrum.

STASIMVS

Magis ápage dicas, si ómnia a me audíveris.
Nam fúlguritae súnt hic alternae árbores.
Sués moriuntur ángina hic acérrume.
Ovés scabrae sunt, tám glabrae, en, quam haec
ést manus.
Tum autém Syrorum, génus quod patientíssu-
mumst
Hominúm, nemo exstat, qui íbi sex mensis
víxerit:
Ita cúncti solstitiáli morbo décidunt.

PHILTO

Credo égo istuc, Stasime, ita ésse: sed Campás
genus
Multó Syrorum iam ántidit patiéntia.
Sed iste ést ager profécto, ut te audiví loqui,
Malós in quem omnis públice mittí decet.
Sicút fortunatórum memorant ínsulas,
Quo cúncti, qui aetatem égerint casté suam,
Convéniant. contra istóc detrudi máleficos
Aequóm videtur, quí quidem istius sít modi.

STASIMVS

Hospítiumst, calamitátis. quid verbís opust?
Quamvís malam rem quaéras, illic réperias.

V. 534 — 536. Nonius in v. incitas p. 123.

V. 544. 545. Nonius in v. Campans p. 486. Diomedes I. p. 294. Gulielmius Trin. cap. 1.

V. 553. Bentleius ad Ter. Heaut. II. 3, 48.

PHILTO

At tu hércle et illi et álibi.

STASIMVS

Cave sis díxeris,

Me tíbi dixisse hoc.

PHILTO

Díxisti arcanó satis.

STASIMVS

Quin híc quidem cupit illum áb se abalienárier,
Siquidém reperire póssit, quoius os súblinat.

PHILTO

Meus quídem hercle numquam fíet.

STASIMVS

Si sapiés quidem.
Lepide hércle de agro ego húnc senem detérrui:
Nam quí vivamus, níhil est, si illum amíserit.

PHILTO

Redeo ád te, Lesboníce.

LESBONICVS

Dic sodés mihi,
Quid híc locutust técum?

PHILTO

Quid censés? homo est:
Volt fíeri liber: vérum, quod det, nón habet.

LESBONICVS

Et ego ésse locuples, vérum nequidquám volo.

STASIMVS

Licitúm, si velles: núnc, quom nihil est, nón licet.

V. 556. 557. Acidalius Trin. cap. 5.

LESBONICVS

Quid técum, Stasime?

STASIMVS

De ístoc, quod dixtí modo,
Voluísses antea, ésseș: nunc seró cupis.

PHILTO

De dóte mecum cónveniri níl potest:
Quod tíbi lubet, tute ágito cum gnató meo.
Nunc tuám sororem fílio poscó meo,
Quae rés bene vortat. quíd nunc? etiam cónsulis.

LESBONICVS

Quid istúc? quando ita vis, dí bene vortant: spóndeo.

PHILTO

Numquam édepol quoiquam tam éxspectatus fílius
Natús, quam est illud spóndeo natúm mihi.

STASIMVS

Di fórtunabunt vóstra consilia.

PHILTO

Íta volo.

LESBONICVS

Sed, Stásime, abi huc ad meám sororem, ad Cálliclem:
Dic hóc negoti quómodo actumst.

STASIMVS

Íbitur.

V. 568. Acidalius Trin. cap. 5.
V. 571. Acidalius Trin. cap. 5.
V. 575. Nonius in v. fortunare p. 109.

LESBONICVS

Et grátulator meaé sorori.

STASIMVS

Scílicet.

PHILTO

I hac, Lésbonice, mécum, ut coram núptiis
Dies cónstituatur: eádem haec confirmábimus.

LESBONICVS

Tu istúc curato, quód ego iussi. iam híc ero.
Et Cállicli dic, me út conveniat.

STASIMVS

Í modo.

LESBONICVS

De dóte ut videat, quíd opus sit facto.

STASIMVS

Í modo.

LESBONICVS

Nam cértumst sine dote haúd me darè.

STASIMVS

Quin tu í modo.

LESBONICVS

Neque enim ílli damno umquam ésse patiar

STASIMVS

Ábi modo.

LESBONICVS

Meam néglegentiam.

STASIMVS

Í modo, i modo.

V. 582. Acidalius Trin. cap. 5.
V. 584. Acidalius Trin. cap. 5.
V. 586. Acidalius Trin. cap. 5.

LESBONICVS

Ó pater,
Aequóm videtur, quí, quod peccarim,

STASIMVS

Í modo.

LESBONICVS

Potíssumum mihi id óbsit.

STASIMVS

I modo.

LESBONICVS

Ó pater,
En úmquam aspiciam te?

STASIMVS

Í modo, i modo, í modo.
Tandem ímpetravi abíret. di, vostrám fidem,
Edepól re gesta péssume gestám probe,
Siquídem ager nobis sálvos est: etsi ádmodum
In ámbiguo est etiám nunc, quid de hac ré fuat.
Sed id si álienatur, áctumst de colló meo.
Gestándus peregre clúpeus, galea, sárcina:
Effúgiet ex urbe, úbi erunt factae núptiae:
Ibít istinc aliquo in máxumam malám crucem
Latrócinatum, aut ín Asiam, aut in Ciliciam.
Ibo húc, quo mi imperátumst, etsi odi hánc domum,
Postquam éxturbavit híc nos nostris aédibus.

V. 589. Gulielmius Misc. Q. cap. 5.
V. 597. Dousa IV. 23.

ACTVS III.

SCENA I.

CALLICLES, STASIMVS.

CALLICLES

Quómodo tu istuc, Stásime, dixti? nóstrum herilem fílium
Lésbonicum suám sororem déspopondisse?

STASIMVS

Hóc modo.

CALLICLES

Quoí homini despóndit?

STASIMVS

Lysitelí Philtonis fílio,
Síne dote.

CALLICLES

Sine dóte ille illam in tántas divitiás dabit?
Nón credibile dícis.

STASIMVS

At tu núllus edepol créduas.
Si hóc non credis, égo credidero.

CALLICLES

Quíd?

STASIMVS

Me nihili péndere.

CALLICLES

Quámdudum istuc, aút ubi actumst?

V. 605. Donatus ad Eun. II. 1, 10.

STASIMVS

Íllico hic ante óstium,
Támmodo, inquit Praénestinus.

CALLICLES

Tánton' in re pérdita,
Quam ín re salva, Lésbonicus fáctus est frugálior?

STASIMVS

Atque quidem ipsus últro venit Phílto oratum fílio.

CALLICLES

Flágitium quidem hércle fiet, nísi dos dabitúr vírgini.
Póstremo edepol ád me ego istam rém áttinere intéllego.
Íbo ad meum castígatorem, atque áb eo consiliúm petam.

STASIMVS

Própemodum quid illíc festinet, séntio, et subolét mihi,
Vt agro evortat Lésbonicum, quándo evortit aédibus.
Ó here Charmidé, quom absenti hic túa res distrahitúr tibi,
Vtinam te redísse salvom vídeam, ut inimicós tuos
Vlciscare, ut míhi, ut erga te fui ét sum, referas grátiam.
Nímium difficile ést reperiri amícum, ita ut nomén cluet,

V. 608. Festus in v. tammodo.

Quoí tuam quom credíderis rem, sine ómni cura dórmias.
Séd generum nostrum íre eccillum vídeo cum affiní suo.
Néscio quid non sátis inter eos cónvenit. celerí gradu
Súnt uterque. illíc reprehendit húnc priorem pállio.
Haúd illi euscheme ástiterunt. húc aliquantum abscéssero.
Ést lubido orátionem audíre duorum affínium.

SCENA II.

LYSITELES, LESBONICVS, STASIMVS.

LYSITELES

Stá íllico. noli ávorsari, néque te occultassís mihi.

LESBONICVS

Pótin' ut me ire, quó profectus súm, sinas?

LYSITELES

Si in rém tuam, Lésbonice, essé videatur, glóriae aut famaé, sirum.

LESBONICVS

Quód est facillumúm, facis.

LYSITELES

Quid id ést?

V. 623. Acidalius Trin. cap. 6.

LESBONICVS

Amico iniúriam.

LYSITELES

Néque meumst, neque fácere didici.

LESBONICVS

Indóctus quam docté facis.
Quid faceres, si quís docuisset te, út sic odio essés mihi?
Béne quom simulas fácere mihi te, mále facis, male cónsulis.

LYSITELES

Égone?.

LESBONICVS

Tu nae.

LYSITELES

Quíd male facio?

LESBONICVS

Quód ego nolo, id quóm facis.

LYSITELES

Tuaé rei bene consúlere cupio.

LESBONICVS

Mélior, tu es quam egomét mihi?
Sát sapio, satis ín rem quae sint méam ego conspició mihi.

LYSITELES

Án id est sapere, ut quí beneficium a bénevolente répudies?

LESBONICVS

Núllum beneficium ésse duco id, quód, quoi facias, nón placet.

V. 633. Acidalius Trin. cap. 6.
V. 637. Vide Bentleium ad Ter. ad Eun. I. 2, 69.

Scío ego, et sentio ípse, quid agam, néque se a me officiúm migrat:
Néc tuis depéllor dictis, quín rumori sérviam.

LYSITELES

Quíd ais? (nam retinéri nequeo, quín dicam ea, quae próneres)
Íta tandem maióres famam trádiderunt tíbi tui,
Vt virtute eorum ánteparta pér flagitium pérderes?
Átqui honori pósterorum tuórum ut vindex fíeres,
Tíbi paterque avósque facilem fécit et planám viam
Ad quaerendum honórem: tu fecísti, ut difficilís foret,
Cúlpa maxume ét desidia, tuísque stultis móribus.
Praeóptavisti, amórem tuum virtúti uti praepóneres.
Núnc te hoc pacto crédis posse obtégere errata? ah, nón ita est.
Cápe sis virtutem ánimo, et corde expélle desidiám tuo;
Ín foro operam amícis da, haud in lécto amicae, ut sólitus es.
Átque ego istunc tibi agrúm relinqui a me ób eam rem enixe éxpeto,

V. 638 — 641. Acidalius Trin. cap. 6.
V. 640. Nonius in v. promeres p. 475.
V. 643. Acidalius Trin. cap. 6. Gronov. Obss. IV. 3. p. 541.
V. 644 — 654. Acidalius Trin. cap. 6.

Vt tibi sit, qui té corrigere póssis: ne omnino ínopiam
Cíves obiectáre possint tíbi, quos tu inimicós habes.

LESBONICVS

Ómnia ego istaec, quaé dixisti, scío, vel exsignávero:
Vt rem patriam et glóriam maiórum foedarím meum.
Scíbam ut esse mé deceret: fácere non quibám miser:
Íta vi Veneris víctus, captus ótio in fraudem íncidi:
Ét tibi nunc, proinde ác merere, súmmas habeo grátias.

LYSITELES

Át meam sic períre operam, et te haec dícta corde spérnere,
Pérpeti nequeó: simul me píget parum pudére te.
Ét postremo, nísi me auscultas, átque hoc, ut dicó, facis,
Túte pone té latebis fácile, ne inveniát te honor:
Ín occulto iacébis, quom te máxume clarúm voles.
Pérnovi ego imperítum Lesboníce, tuum ingenium ádmodum.
Scío te sponte nón tuapte errásse, sed amorém tibi

V. 652. Dousa IV. 24.
V. 655. Priscianus VII. p. 743.
V. 664. Gronov. Obss. IV. 3. p. 541.

Péctus obscurásse. atque ipse amóris teneo omnís vias.
Íta est amor, balísta ut iacitur: níhil sic celere est, néque volat,
Átque ís mores hóminum moros ét morosos éfficit.
Mínus placet, magis quód suadetur: quod dissuadetúr, placet.
Quom ínopia est, cupiás; quando eius cópia est, tum nón velis.
Ílle qui aspellít, ís compellit: ílle qui consuadét, vetat.
Ínsanum est malúm devorti in hóspitium ad Cupídinem.
Séd te moneo, hoc étiam átque etiam ut réputes, quid facere éxpetas.
Si ístuc conare, út facis mi indícium, tuum incendés genus.
Tum ígitur tibi aquae erít cupído, génus qui restinguás tuum.
Átque si eris náctus, proinde ut córde amantes súnt cati,
Né scintíllam quídem relinques, génus qui ne gliscát tuum.

V. 670. Bentleius ad Ter. Heaut. II. 3, 20.

V. 672. Lipsius Epist. Q. III. 20.

V. 674 — 77. Acidalius Trin. cap. 6. Gronov. Obss. IV. 3. p. 542. seqq.

V. 675. Dousa IV. 24.

LESBONICVS

Fácile inventu est: dátur ignis, tamenétsi ab inimicís petas.
Séd tu obiurgans me á peccatis rápis deteriorem ín viam.
Meám sororem tíbi dem suades síne dote. hoc non cónvenit,
Mé, qui abusus súm tantam rem pátriam, porro in dítiis
Ésse, agrumque habére; egere illam aútem, ut merito me óderit.
Númquam erit aliénis gravis, qui suís se concinnát levem.
Sícut dixi, faciam: nolo té iactari díutius.

LYSITELES

Tánto meliust té sororis caússa egestatem éxsequi,
Átque eum agrum me habére, quam te, túa qui toleres moénia?

LESBONICVS

Nólo ego mihi te tám prospicere, quí meam egestatém leves,
Séd ut inops infámis ne sim; né mi hanc famam díffèrant,
Mé germanam meám sororem in cóncubinatúm tibi
Síc sine dote dédidisse, mágis quam in matrimónium.

V. 678. Acidalius Trin. cap. 6. Dousa IV. 25. Gronov. Obss. IV. 3. p. 546.

V. 683 — 686. Acidalius Trin. cap. 6.

Quís me improbior pérhibeatur ésse? haec famigerátio
Té honestet, me autém collutulet, sí sine dote dúxeris:
Tíbi sit emoluméntum honoris; míhi, quod obiecténtur, siet.

LYSITELES

Quíd? te dictatórem censes fóre, si abs te agrum accéperim?

LESBONICVS

Néque volo, neque póstulo, neque cénseo. vérúm tamen
Ís est honos homíni pudico, méminisse officíum suum.

LYSITELES

Scío equidem te, animátus ut sis: vídeo, subolet, séntio.
Íd agis, ut, ubi affínitatem intér nos nostram adstrínxeris,
Átque eum agrum dederís, nec quidquam hic tíbi sit, qui vitám colas,
Éffugias ex úrbe inanis, prófugus patriam déseras,
Cógnatos, affínitatem, amícos, factis núptiis:
Méa opera hinc protérritum te, meáque avaritia aútument.
Íd me commissúrum, ut patiar fíeri, ne animum indúxeris.
Quís me improbior pérhibeatur ésse? haec famigerátio

V. 691. 692. Nonius in v. collutulet p. 84.
V. 697. Acidalius Trin. cap. 6.

Té honestet, me autém collutulet, sí ego abs te agrum acceperim:
Tibi sit emoluméntum honoris; míhi, quod obiecténtur, siet.

STASIMVS

Nón enim possum quín exclamem: euge, eúge, Lysitelés, πάλιν.
Fácile palmam habés: hic victus. vícit tua comoédia.
Híc agit magis ex árgumento, et vérsus meliores facit.
Étiam ob stultitiám tuam te tuéris? multam abómina.

LESBONICVS

Quíd tibi interpellátio aut in cóncilium huc accéssio est?

STASIMVS

Eódem pacto, quo húc accessi, abscéssero.

LESBONICVS

I hac mecúm domum,
Lysiteles: ibi de ístis rebus plúra fabulábimur.

LYSITELES

Níhil ego in occulto ágere soleo. méus ut animust, éloquar:
Sí mihi tua sorór, ut ego aequom cénseo, ita nuptúm datur
Síne dote, neque tu hínc abituru's, quód meum erit, id erít tuum:

V. 707. Cicero II. de oratore cap. 10. Palmer. spic. p. 730.
V. 710. Palmer. spic. p. 659.
V. 711. Donatus ad Eun. IV. 4, 4.

Sín aliter animátus es, bene, quód agas, eveniát tibi.
Égo amicus numquám tibi ero alio pácto. sic senténtia est.

STASIMVS

Ábiit hercle quidem: écquid audis, Lysiteles? ego té volo.
Híc quoque hinc abiit. Stásime, restas sólus. quid ego núnc agam?
Nísi uti sarcinám constringam, et clúpeum ad dorsum accómmodem:
Fúlmentas iubeám suppingi sóccis: non sistí potest.
Crédo ad summos béllatores ácrem fugitorém fore;
Ét capturum spólia ibi illum, quí meo hero advorsus vénerit.
Vídeo caculam mílitarem mé futurum haud lóngius:
Aút aliquem ad regem ín saginam si hérus se coniexít meus,
Égomet, quam extemplo árcum mi, et pharetram ét sagittas súmpsero,
Cássidem in capút, dormibo plácide in contubérnio.
Ád forum ibo: núdius sextus quoí talentum mútuom
Dédi, reposcam, ut hábeam, mecum quód feram, viáticum.

V. 722. Nonius in v. fulmentum p. 206. Acidalius Trin. cap. 6.
V. 725. Festus in v. cacula. Dousa IV. 24.
V. 723. 724. Acidalius Trin. cap. 6.

SCENA III.

MEGARONIDES, CALLICLES.

MEGARONIDES

Vt míhi rem narras, Cállicles, nulló modo
Potest fíeri prorsus, quín dos detur vírgini.

CALLICLES

Namque hércle honeste fíeri ferme nón potest,
Vt eám perpetiar íre in matrimónium
Sine dóte, quom eius rém penes me habeám domi.

MEGARONIDES

Paráta dos domíst, nisi exspectáre vis,
Vt eám sine dote fráter nuptum cóllocet:
Post ádeas tute Phíltonem, et dotém dare
Te ei dícas; facere id eíus ob amicitiám patris.
Verum hóc ego vereor, ne ístaec pollicitátio
Te in crímen populo pónat atque infámiam.
Non témere dicant té benignum vírgini;
Datám tibi dotem, ei quám dares, eius á patre;
Ex eá largitari ílli; neque ita, ut sít data,
Columném te sistere ílli, et detraxe aútument.
Nunc si ópperiri vís adventum Chármidis,
Perlóngumst ducenti; híc interea abscésserit.

CALLICLES

Nam hercle ómnia istaec véniunt in mentém mihi.

MEGARONIDES

Vide, si hóc utibile mágis atque in rem députas,

Vt ádeam Lesbonícum, edoceam, ut rés se habet.

CALLICLES

Vt égo nunc adulescénti thesaurum índicem
Indómito, pleno amóris ac lascíviae?
Minume hércle vero, mínume: nam certó scio
Locúm quoque illum omnem, úbi situst, coméderit.
Quem fódere metuo, sónitum ne ille exaúdiat,
Ne ipsám rem indaget, dótem dare si díxerim.

MEGARONIDES

Quo pácto ergo igitur?

CALLICLES

Clám dos deprómi potest,
Dum occásio ei rei réperiatur: ínterim
Ab amíco alicunde mi árgentum in dotém rogem.

MEGARONIDES

Potin' ést ab amico alicúnde exorarí?

CALLICLES

Potest.

MEGARONIDES

Gerraé: nae tu illud vérbum actutum invéneris,
Pol míhi quidem hercle nón est, quód dem mútuom.

CALLICLES

Malim hércle ut verum dícas, quam ut des mútuom.

V. 750. Acidalius Trin. cap. 7.

V. 759. 760. Bentleius ad Ter. Phorm. III. 3, 2. Acidalius Trin. cap. 7.

MEGARONIDES

Sed víde consilium, sí placet.

CALLICLES

Quid cónsilist?

MEGARONIDES

Scitum, út ego opinor, cónsilium invení.

CALLICLES

Quid est?

MEGARONIDES

Homo cónducatur áliquis iam, quantúm potest,
Quasi sít peregrinus.

CALLICLES

Quíd istoc facere póstea?

MEGARONIDES

Is homo éxornetur gráphice in peregrinúm modum,
Ignóta facies, quaé non visitáta sit,
Falsídicum, confidéntem.

CALLICLES

Quid tum póstea?

MEGARONIDES

Quasi si ád adulescentem á patre ex Seleúcia
Veniát, salutem ei núnciet verbís patris,
Illúm bene gerere rem, ét valere et vívere,
Et eúm redíturum actútum. ferat epístulas
Duas: eás nos consignémus, quasi sint á patre:
Det álteram illi, atque álteram dicát tibi
Dare sése velle.

V. 769. Acidalius Trin. cap. 7. Dousa IV. 25.
V. 773. Bentleius ad Ter. Heaut. II. 5, 3.

CALLICLES

Pérge porro dícere.

MEGARONIDES

Seque aúrum ferre vírgini dotem á patre
Dicát, patremque id tíbi iussisse aurúm dare.
Tenés iam?

CALLICLES

Propemodo: átque ausculto pérlubens.

MEGARONIDES

Tum tu ígitur demum id ádulescenti aurúm dabis,
Vbi erít locata vírgo in matrimónium.

CALLICLES

Scite hércle sane.

MEGARONIDES

Hoc, úbi thesaurum effóderis,
Suspícionem ab ádulescente amóveris.
Censébit aurum esse á patre allatúm tibi.
Tu dé thesauro súmes.

CALLICLES

Satis scite ét probe.
Quamquam hóc me aetatis sycophantarí pudet.
Sed epístulas quando óbsignatas áfferet,
Siquidem óbsignatas túlerit has epístulas,
Nonne árbitraris éum adulescentem ánnuli
Patérni signum nóvisse?

MEGARONIDES

Etiam tú taces?
Sexcéntae ad eam rem caússae possunt cólligi:
Illum, quem hábuit, perdidit, álium post fecít novom.
Iam si óbsignatas nón feret, dici hóc potest,

Apud pórtitorem eás resignatás sibi
Inspéctasque esse. in huiusmodi negótio
Diém sermone térere, segnitiés merast.
Quamvís sermones póssunt longi téxier.
Abi ád thesaurum iám confestim clánculum:
Servós, ancillas ámove. atque audín'?

CALLICLES

Quid est?

MEGARONIDES

Vxórem quoque etiam ípsam hanc rem ut celés, face.
Nam pól tacere númquam quidquamst quód queat.
Quid núnc stas? quin tu hinc te ámoves, et té moves?
Aperí, deprome inde aúri ad hanc rem quód sat est,
Continuoque operi dénuo: sed clánculum,
Sicút praecepi: cúnctos exturba aédibus.

CALLICLES

Faciam.

MEGARONIDES

Át enim nimis hic lóngo sermone útimur.
Diém conficimus, quód iam properato ést opus.
Nihil ést, de signo quód vereare: mé vide.
Lepida ést illa caussa, ut cómmemoravi, dicere,
Apud pórtitores ésse inspectas. dénique
Diéi tempus nón vides? quid illúm putas
Natúra illa atque ingénio? iamdudum ébriust.
Quidvís probari póterit. tum, quod máxumumst,
Afférre, non petere híc se dicet.

CALLICLES

Iám sat est.

MEGARONIDES

Ego sycophantam iám conduco dé foro,
Epístulasque iám consignabó duas,
Eumque húc ad adulescéntem meditatúm probe
Mittam.

CALLICLES

Éo ego iam igitur íntro ad officiúm meum.
Tu istúc age.

MEGARONIDES

Actum réddam nugacíssume.

ACTVS IV.

SCENA I.

CHARMIDES

Sálsipotenti et múltipotenti Ióvis fratri Neptúno et Nereo
Laétus lubens laudés ago, et gratis grátas habeo, et flúctibus salsis,
Quós penes mei fuít potestas, quíd bonis meis fóret et vitae,
Quóm suis me ex locís in patriam atque úrbem usque in meam réducem faciunt.
Átque ego tibi, Neptúne, ante alios deós gratis ago atque hábeo summas.

V. 820. Palmer. spic. p. 884.

V. 823. Pontanus ad Macrob. IV. 4.

Nám te omnes saevóm, severum atque ávidis moribús commemorant,
Spúrcificum, immanem, íntolerandum, vésanum: ego contra ópera expertus.
Nám pol placidum te ét clementem usqué modo, ut volui, usús sum in alto.
Átque ego hanc tuam glóriam auribús quidem iam accéperam ante,
Paúperibus te párcere solitum, dítes damnare átque domare.
Ábi, laudo, scis órdine, ut aequomst, tráctare homines: hóc dis dignumst,
Sémper mendicís modesti ut sínt, secus nobilés apud homines.
Fídus fuisti: infídum esse iterant: nam ábsque foret te, sát scio in alto
Dístraxissent, dísque tulissent tuí satellités me foede,
Bónaque item omnia úna mecum pássim caeruleós per campos.
Íta iam, quasi canés, haud secus circúmstabant navem túrbine venti,
Ímbres, fluctus, átque procellae infénsae confregére malum,
Rúere antemnas, scíndere vela, ní pax propitiá foret praesto.
Ápage a me sis. deínde hic certumst me ótio dare: sátis partum habeo,

V. 828. Gulielmius Trin. cap. 1.
V. 835. Acidalius Trin. cap. 7.
V. 839. Acidalius Trin. cap. 7.

Dum hísce aerumnis déluctavi, et fílio divítias quaero.
Séd quis hic est, qui in pláteam ingreditur cúm novo ornatú specieque?
Pól simul, quamquám domi cupio, oppériar tamen, hic quám gerat rem.

SCENA II.

SYCOPHANTA, CHARMIDES.

SYCOPHANTA.

Huíc ego diei nomén Trinummo fáciam: nam ego operám meam
Tríbus nummis hodié locavi ad ártis nugatórias.
Ádvenio ex Seleúcia, Macédonia, Asia, atque Árabia,
Quás ego neque oculís, neque pedibus úmquam usurpaví meis.
Víden' egestas quíd negoti dát homini miseró male:
Quom égo nunc subigor tríum nummorum caússa, ut has epístulas
Dícam ab eo homine me áccepisse, quem égo, qui sit homo, néscio,
Néque novi: neque nátus, necne is fúerit, id solidé scio.

V. 840. Nonius in v. deluctavi p. 468. Merula ad Enn. p. 497.

V. 842. Palmer. spicil. p. 754. seq. Donatus ad Eun. IV. 7. 44.

CHARMIDES

Pól hic quidem fungíno genere est, cápite se totúm tegit:
Íllurica faciés videtur hóminis; eo ornatu ádvenit.

SYCOPHANTA

Ílle qui me condúxit, ubi condúxit, abduxít domum:
Quaé voluit, mihi díxit: docuit, ét praemonstravít prius,
Quómodo quidque agerém. nunc adeo, sí quid ego addidero ámplius,
Eó conductor mélius de me núgas conciliáverit.
Vt ille me exornávit, ita sum ornátus. argentum hóc facit.
Ípse ornamenta á chorago haec súmpsit suo perículo.
Núnc egó si potero órnamentis hóminem circumdúcere,
Dábo operam: ut me esse ípsum plane sycophantam séntiat.

CHARMIDES

Quám magis specto, mínus placet mi haec hóminis facies. míra sunt,
Ni íllic homo est aut dórmitator, aút sector zonárius.
Lóca contemplat, círcumspectat sése, atque aedis nóscitat.

V. 860. Gulielmius Trin. cap. 1. Acidalius Trin. cap. 7.

Crédo, edepol, quo móx furátum véniat, speculatúr loca.
Mágis lubidost óbservare, quíd agat: ei rei operám dabo.

SYCOPHANTA

Hás regiones démonstravit míhi ille conductór meus:
Ápud illas aedís sistendae míhi sunt sycophántiae.
Fóris pultabo.

CHARMIDES

Ad nóstras aedis híc quidem habet rectám viam.
Hércle, opinor, mi ádvenienti hac nóctu agitandumst vígilias.

SYCOPHANTA

Áperite hoc, aperíte. heus, ecquis hic fóribus tutelám gerit?

CHARMIDES

Quíd, adulescens, quaéris? quid vis? quíd istas pultas?

SYCOPHANTA

Heús senex,
Cénsus sum, quom iúratori récte rationém dedi.
Lésbonicum hic ádulescentem quaéro, in his regiónibus

V. 864. Marcilius in interpr. leg. XII. cap. 57. in Ottonis Thes. vol. IV. p. 275. Palmer. spic. p. 626.

V. 869. Bentleius ad Ter. Phorm. II. 1, 19. Gronov. L. Pl. p. 347.

V. 872. Acidalius Trin. cap. 7. Gronov. Obss. IV. 3. p. 547.

Vbi habitet, et item álterum ad istanc cápitis albitúdinem,
Cálliclem quem aibát vocari, has míhi qui dedit epístulas.

CHARMIDES

Meúm gnatum hic quidem Lésbonicum quaérit et amicúm meum,
Quoí ego liberósque bonaque cómmendavi, Cálliclem.

SYCOPHANTA

Fác me, si scis, cértiorem, hosce hómines, ubi habitént, pater.

CHARMIDES

Quíd eos quaeris? aút quis es? aut únde es? aut unde ádvenis?

SYCOPHANTA

Múlta rogitas símul: nescio quid éxpediam potíssumum.
Si únumquidquid síngillatim et plácide percontábere,
Ét meum nomen, ét mea facta, et ítinera ego faxó scias.

CHARMIDES

Fáciam ita ut vis. ágedum nomen mémora tuum primúm mihi.

SYCOPHANTA

Mágnum facinus íncipissis pétere.

CHARMIDES

Quid ita?

V. 874. Nonius in v. albitudinem p. 73.
V. 882. Bentleius ad Ter. Heaut. II. 3, 30.
V. 884. Gulielmus Trin. cap. 1.

SYCOPHANTA

Quía, pater,
Ánte lucem si íre occipias á meo primo nómine,
Cóncubium sit nóctis, priusquam tu ád postremum pérvenas.

CHARMIDES

Fáce opust et viático ad tuum nómen, ut tu praédicas.

SYCOPHANTA

Ést minusculum álterum, quasi vásculum vinárium.

CHARMIDES

Híc homo solide sycophanta est. quíd ais tu, adulescéns?

SYCOPHANTA

Quid est?

CHARMIDES

Éloquere, isti tíbi quid homines débent, quos tu quaéritas?

SYCOPHANTA

Páter istius ádulescentis dédit has duas mi epístulas
Lésbonici. is mi ést amicus.

CHARMIDES

Téneo hunc manifestárium.
Mé sibi epistulás dedisse dícit. ludam hominém probe.

V. 886. Varro de L. L. VI. p. 78.

V. 887. Palmer. spic. p. 698. Lipsius ant. lectt. I. 5.

V. 892. Acidalius Trin. cap. 7.

SYCOPHANTA

Íta ut occepi, si ánimum advortas, dícam.

CHARMIDES

Dabo operám tibi.

SYCOPHANTA

Hánc me iussit Lésbonico dáre suo gnato epístulam,
Ét item hanc alterám suo amico Cállicli iussít dare.

CHARMIDES

Míhi quoque edepol, quom híc nugatur, cóntra nugarí lubet.
Vbi ipse erat?

SYCOPHANTA

Bene rém gerebat.

CHARMIDES

Érgo ubi?

SYCOPHANTA

In Seleúcia.

CHARMIDES

Áb ipson' istas áccepisti?

SYCOPHANTA

E mánibus dedit ipse ín manus.

CHARMIDES

Quá facie est homó?

SYCOPHANTA

Sesquipede quídem is est quam tu lóngior.

CHARMIDES

Haéret haec res: síquidem ego absens súm, quam praesens, lóngior.
Nóvistin' hominem?

SYCOPHANTA

Hém, ridicule rógitas, quocum una cibum
Cápere soleo.

CHARMIDES

Quíd est ei nomen?

SYCOPHANTA

Quód edepol hominí probo.

CHARMIDES

Lúbet audire.

SYCOPHANTA

Illi édepol, illi, illi, ílli. vae miseró mihi.

CHARMIDES

Quíd est negoti?

SYCOPHANTA

Dévoravi nómen imprudéns modo.

CHARMIDES

Nón placet, qui amícos intra déntis conclusós habet.

SYCOPHANTA

Átque etiam modo vórsabatur mi ín labris primóribus.

CHARMIDES

Témperi huic hodie ánteveni.

SYCOPHANTA

Téneor manifestó miser.

CHARMIDES

Íamne commentátu's nomen?

SYCOPHANTA

Deúm me hercle atque hominúm pudet.

V. 904. Palmer. spic. p. 758.
V. 906. Acidalius Trin. cap. 7.

CHARMIDES

Vide, homo, ut hominem nóris.

SYCOPHANTA

Tamquam mémet. fieri istúc solet,
Quód in manu teneás atque oculis vídeas, id desíderes.
Lítteris recómminiscar, C ést principium nómini.

CHARMIDES

Cállias?

SYCOPHANTA

Non ést.

CHARMIDES

Callippus?

SYCOPHANTA

Nón est.

CHARMIDES

Callidémides?

SYCOPHANTA

Nón est,

CHARMIDES

Callinícus?

SYCOPHANTA

Non est.

CHARMIDES

Cállimarchus?

SYCOPHANTA

Níl agis.
Néque adeo edepol flóccifacio, quándo egomet memini mihi.

V. 912. Palmerius spic. p. 757.

CHARMIDES

Át enim multi Lésbonici súnt hic: nisi nomén patris
Díces, non monstráre possum hos hómines, quos tu quaéritas.
Quód ad exemplum est? cóniectura sí reperire póssumus.

SYCOPHANTA

Ád hoc exemplum est, Chár.

CHARMIDES

Chares? an Cháridemus? num Chármides?

SYCOPHANTA

Hem, ístic erit. qui istúm di perdant.

CHARMIDES

Díxi égo iamdudúm tibi:
Béne te potius dícere aequomst hómini amico, quám male.

SYCOPHANTA

Sátin' intra labra átque dentis látuit vir minumí preti?

CHARMIDES

Né male loquere absénti amico.

SYCOPHANTA

Quíd ille ergo ignavíssumus
Látitabat mihi?

CHARMIDES

Réspondisset, si ápellasses nómine.
Séd ipse ubi est?

V. 919. Palmer. spic. p. 757. Acidalius Trin. cap. 7.

V. 920. Acidalius Trin. cap. 7.

SYCOPHANTA

Pol illúm liqui ad Rhadamántem in Cecropia ínsula.

CHARMIDES

Quís homo est me insipiéntior, qui ipse égomet, ubi sim, quaéritem?
Séd nil discondúcit huic rei. quíd ais?

SYCOPHANTA

Quid?

CHARMIDES

Hoc, quod té rogo.
Quós locos adísti?

SYCOPHANTA

Nimium mírimodis mirábiles.

CHARMIDES

Lúbet audire, nísi molestumst.

SYCOPHANTA

Quín discupio dícere.
Ómnium primum in Póntum advecti ad Árabiam terrám sumus.

CHARMIDES

Eho,
Án etiam Arabia ést in Ponto?

SYCOPHANTA

Est: nón illaec, ubi tus gígnitur,
Séd ubi absinthiúm fit, atque cúnila gallinácea.

CHARMIDES

Nímium graphicum hunc núgatorem. séd ego sum insipiéntior,
Qui égomet, unde rédeam, hunc rogitem; quae égo sciam, atque hic nésciat:

Nísi quia hunc lubet éxperiri, quo évasurust dénique.
Quíd tibi est nomén, adulescens?
SYCOPHANTA
Páx, id est nomén mihi:
Hóc cotidiánumst.
CHARMIDES
Edepol nómen nugatórium:
Quási dicas, si quíd crediderim tíbi, pax, periisse íllico.
Séd quid ais, quo inde ísti porro?
SYCOPHANTA
Si ánimum advortas, éloquar.
Ád caput amnis, quód de caelo exóritur sub solió Iovis.
CHARMIDES
Súb solio Iovis?
SYCOPHANTA
Íta dico.
CHARMIDES
E caelóne?
SYCOPHANTA
Atque e medió quidem.
CHARMIDES
Eho,
An etiam in caelum éscendisti?
SYCOPHANTA
Immo hóriola advectí sumus,
Vsque aqua advorsá per amnem.

V. 942. Acidalius Trin. cap. 7.

CHARMIDES

Eho, an étiam vidistí Iovem?

SYCOPHANTA

Éum alii di isse ád villam aibant sérvis depromptúm cibum.

Deínde porro

CHARMIDES

Deínde porro nólo quidquam praédices.

SYCOPHANTA

Égo quidem hercle, si és molestus.

CHARMIDES

Nám pudicum néminem

Ésse oportet hóminem, abs terra ad caélum qui pervénerit.

SYCOPHANTA

Dímittam, ut te vélle video. séd monstra hosce hominés mihi.

Hós ego quaero, quíbus me oportet hás deferre epistulas.

CHARMIDES

Quíd ais tu nunc? sí forte ipsum Chármidem conspéxeris;

Íllum, quem tibi istás dedisse cómmemoras epístulas,

Nóverisne hominem?

SYCOPHANTA

Hém, nae tu edepol me árbitrare bélluam,

Quí quidem non novísse possim, quícum aetatem exégerim.

V. 946. Acidalius Trin. cap. 7.
V. 948. Acidalius Trin. cap. 8.
V. 950. 951. Acidalius Trin. cap. 8.

Án ille tam esset stúltus, qui mihi mílle nummum créderet
Phílippum, quod me aurúm deferre iússit ad gnatúm suum,
Átque ad amicum Cálliclem, quoi rem aíbat mandasse híc suam?
Míhi id concrederét, ni et me ille et égo illum novissem ápprobe?

CHARMIDES

Énimvero ego nunc sycophantae huic sycophantarí volo:
Si húnc possum illo mílle nummum Phílippo circumdúcere,
Quód sibi me dedísse dixit: quem égo, qui sit homo, néscio;
Néque oculis ante húnc diem umquam vídi, eine aurum créderem?
Quoí, si capitis rés sit, nummum núnquam credam plúmbeum.
Ággrediundust mi híc homo astu. heus, Páx, te tribus verbís volo.

SYCOPHANTA

Vél trecentis.

CHARMIDES

Háben' tu aurum id, quod áccepisti a Chármide?

SYCOPHANTA

Átque etiam Philippum, numeratum illíus in ménsá manu
Mílle nummum.

V. 964. Gulielmius Casin. cap. 1.

CHARMIDES

Némpe ab ipso id áccepisti Chármide?

SYCOPHANTA

Mírum quin ab avo eíus, aut proavo accíperem, qui sunt mórtui.

CHARMIDES

Adulescens, cedo dum ístuc aurum míhi.

SYCOPHANTA

Quod égo dem aurúm tibi?

CHARMIDES

Quód te a me accepísse fassu's.

SYCOPHANTA

Ábs te accepisse?

CHARMIDES

Íta loquor.

SYCOPHANTA

Quís tu homo es?

CHARMIDES

Qui mílle nummum tíbi dedi, ego sum Chármides.

SYCOPHANTA

Néque edépol tu is és, neque hodie is úmquam eris, huic auró quidem.
Ábi sis, nugatór: nugari núgatori póstulas.

CHARMIDES

Chármides ego súm.

SYCOPHANTA

Nequidquam hercle és: nam nihil aurí fero.
Nímis argute mi óbrepsisti in eápse occasiúncula.

V. 973. Dousa IV. 25.

Póstquam ego me aurum férre dixi, póst tu factu's Chármides.
Príus non tu is eras, quam aúri feci méntionem. níl agis.
Proínde tu itidem, ut chármidatu's, rúrsum te rechármida.

CHARMIDES

Quís ego sum igitur, síquidem is non sum, quí sum?

SYCOPHANTA

Quid id ad me áttinet?
Dum ílle ne sis, quem égo esse nolo, sís mea caussa, quí lubet.
Príus non is eras, quí eras: nunc is fáctu's, qui tum nón eras.

CHARMIDES

Áge si quid agis.

SYCOPHANTA

Quíd ego agam?

CHARMIDES

Aurum rédde.

SYCOPHANTA

Dormitás, senex.

CHARMIDES

Fássu's Charmidém dedisse aurúm tibi?

SYCOPHANTA

Scriptúm quidem.

CHARMIDES

Próperas, an non próperas ire actútum ab his regiónibus,

V. 979 Durantius Casellius var. II. 14. p. 247.
V. 981. Acidalius Trin. cap. 8.

Dórmitator, príusquam ego hic te júbeo mulcarí male?

SYCOPHANTA

Quámobrem?

CHARMIDES

Quia illum quem émentitus és, ego sum ipsus Chármides,
Quém tibi epistulás dedisse tu aíbas.

SYCOPHANTA

Eho, quaeso, án tu is es?

CHARMIDES

Ís enimvero sum.

SYCOPHANTA

Aín' tu tandem, is ípsusne es?

CHARMIDES

Aio.

SYCOPHANTA

Ípsus es?

CHARMIDES

Ípsus, inquam, Chármides sum.

SYCOPHANTA

Ergo ípsusne es?

CHARMIDES

Ipsíssumus.
Ábin' hinc ab oculís?

SYCOPHANTA

Enimvero séro quoniam huc ádvenis,
Vápulabis árbitratu meo ét novorum aedílium.

V. 988 — 990. Gulielmius Trin. cap. 3.

V. 990. 991. Priscianus III. p. 598. Gulielmius Trin. cap. 2.

CHARMIDES

Át etiam maledícis?

SYCOPHANTA

Immo, sálvos quandoquidem ádvenis,
Dí me perdant, sí te floccifácio, an periissés prius.
Égo ob hanc operam argéntum accepi: té macto infortúnio.
Caéterum qui sís, qui non sis, flóccum non intérduim.
Íbo ad illum, renúnciabo, míhi qui tris nummós dedit,
Vt sciat, se pérdidisse. ego ábeo. male vive ét vale,
Quó di te omnes ádvenientem péregre perdant, Chármides.

SCENA III.

CHARMIDES

Postquam ílle hinc abiit, póst loquendi líbere
Vidétur tempus vénisse, atque occásio.
Iamdúdum meum ille péctus pungit áculeus,
Quid illí negoti fúerit ante aedís meas.
Nam epístula illa míhi concenturiát metum
In córde, et illud mílle nummum, quám rem agat.
Numquam édepol temere tínnit tintinnábulum:

V. 994. Acidalius Trin. cap. 8.

Nisi qui íllud tractat aút móvet, mutúm tacet.
Sed quis híc est, qui huc in pláteam cursuram íncipit?
Lubet óbservare, quíd agat: huc concéssero.

SCENA IV.

STASIMVS, CHARMIDES.

STASIMVS

Stásime, face te própere celerem, récipe te ad dominúm domum,
Né subito metus éxoriatur scápulis stultitiá tua.
Ádde gradum, approperá: iamduduin fáctumst, quom abistí domo.
Cáve sis tibi, ne búbuli in te cóttabi crebrí crepent,
Si áberis ab heri quaéstione. né destiteris cúrrere.
Écce hominem te, Stásime, nihili. sátin' in thermopólio
Cóndalium es oblítus, postquam thérmopotasti gútturem?
Récipe te, et recúrre petere ré recenti.

CHARMIDES

Huic, quísquis est,
Cúrculio est exércitor: is hunc hóminem cursúrám docet.

V. 1010. Gulielmius Trin. cap. 2. Stewechius Quaeſit. in Apulei. p. 167.
V. 1018. Dousa IV. 25.

STASIMVS

Quíd, homo nihili, nón pudet te? tríbusne te potériis
Mémoriae esse oblítum? an vero, quóniam cum frugi hóminibus
Íbi bibisti, qui áb alieno fácile cohiberént manus?
Théruchus fuit, Cérconicus, Crínus, Cercobolus, Cóllabus,
Óculicrepidae, crúricrepidae, férriteri, mastígiae.
Ínter eosne hominés condalium té redipisci póstulas,
Quórum unus subrípuerit currénti cursorí solum?

CHARMIDES

Íta me di ament, gráphicum furem.

STASIMVS

Quíd ego, quod periít, petam?
Nísi etiam labórem ad damnum appónam in apothecam ínsuper?
Quín tu quod periít, periisse dúcis? cape vorsóriam.
Récipe te ad herum.

CHARMIDES

Nón fugitivost híc homo: commeminít domi.

V. 1020. Gulielmius Trin. cap. 2. Acidalius Trin. cap. 8.
V. 1022. Petrus Valla. Palmerius spic. p. 697.
V. 1023. Palmerius spic. p. 727.

STASIMVS

Vtinam veteres móres, utinam véteres parsimóniae
Pótius maiori éssent hic honóri, quam morés mali.

CHARMIDES

Di ímmortales, básilica hic quidem fácinora inceptát loqui.
Vétera quaerit, vétera amare hunc móre maiorúm scias.

STASIMVS

Nám nunc mores níhili faciunt, quód licet, nisi quód lubet.
Ámbitio iam móre sanctast, líberast a légibus.
Scúta iacere, fúgereque hostis, móre habent licéntiam:
Pétere honorem pró flagitio móre fit.

CHARMIDES

Morem ímprobum!

STASIMVS

Strénuos iam praéterire móre fit.

CHARMIDES

Nequam íd quidem est.

STASIMVS

Móres leges pérduxerunt iam ín potestatém suam,
Mágis quis sunt obnóxiosae, quám parentes líberis.

V. 1033. Dousa IV. 25.
V. 1035. Gulielmius Trin. cap. 2.
V. 1038. Dousa IV. 25.

Eaé miserae etiam ad párietem sunt fíxae clavis férreis,
Vbi malos morés affigi nímio fuerat aéquius.

CHARMIDES

Lúbet adire atque áppellare hunc: vérum auscúlto pérlubens.
Séd metuo, si cómpellabo, ne áliam rém occipiát loqui.

STASIMVS

Néque istis quidquam lége sanctumst. léges mori sérviunt.
Móres autem rápere properant, quá sacrum, qua públicum.

CHARMIDES

Hércle istis malám rem magnam móribus dignúmst dari.

STASIMVS

Nónne hoc publice ánimum advorti? nam íd genus hominum hóminibus
Vniversis ést advorsum, atque ómni populo mále facit:
Mále fidem servándo, illis quoque ábrogant etiám fidem,
Quí nil meriti: quúppe ex eorum ingénio ingenium horúm probant.
Hóc qui in méntem vénerit mihi, reípsa modo commónitus sum.
Sí quis mutuóm quid dederit, fít pro proprio pérditum.

V. 1044. Acidalius Trin. cap. 8.
V. 1046. Bentleius ad Ter. Andr. I. 3, 9.
V. 1051. Acidalius Trin. cap. 8.

Quóm repetas, inimícum amicum béneficio inveniás tuo.
Sí mage exigere cúpias, duarum rérum exoritur óptio:
Vél illud, quod credíderis, perdas; vél illum amicum amíseris.

CHARMIDES

Méus est hic quidem Stásimus servos.

STASIMVS

Nam égo talentum mútuom
Quód dederam, talénto inimicum mi émi, amicum véndidi.
Séd ego sum insipiéntior, qui rébus curem públicis
Pótius, quam id, quod próxumumst, meo térgo tutelám geram.
Éo domum.

CHARMIDES

Heus tu, asta íllico. audi, heus.

STASIMVS

Non sto.

CHARMIDES

Át ego stare té volo.

STASIMVS

Quíd si egomet te vélle nolo?

CHARMIDES

Ah nímium, Stasime, saéviter.

STASIMVS

Émere meliust, quoi ímperes.

V. 1054. Bentl. ad Ter. Enn. I. 2, 69.
V. 1059. 1060. Acidalius Trin. cap. 8.
V. 1062. Nonius in v. saeviter p. 511.

CHARMIDES

Pol ego émi, atque argentúm dedi.
Séd si non dicto aúdiens est, quíd ago?

STASIMVS

Da magnum malum.

CHARMIDES

Béne mones: ita fácere certumst.

STASIMVS

Nísi quidem es obnóxius.

CHARMIDES

Sí bonus est, obnóxius sum: sín secust, faciam út iubes.

STASIMVS

Quíd id ad me adtinét, bonisne sérvis tu utare án malis?

CHARMIDES

Quía boni malíque in ea re párs tibi est.

STASIMVS

Partem álteram
Tíbi permitto, illam álteram ad me, quód boni est, adpónito.

CHARMIDES

Sí eris meritus, fíet. respice ád me huc. ego sum Chármides.

STASIMVS

Hém, quis est, qui méntionem fácit homo hominis óptumi?

CHARMIDES

Ípse homo optumús.

V. 1064. Palmer. spic. p. 883. Gulielmius Trin. cap. 2.
V. 1064. 1066. Acidalius Trin. cap. 8.

STASIMVS

Mare, terra, caélum, di, vostrám fidem.
Sátin' ego oculis pláne video? estne ípsus, an non ést? is est.
Cérte is est: is ést profecto. o mí here exoptatíssume,
Sálve.

CHARMIDES

Salve, Stásime.

STASIMVS

Salvom té.

CHARMIDES

Scio et credó tibi.
Séd omitte alia: hoc míhi responde. líberi quid agúnt mei,
Quós reliqui hic, fílium atque fíliam?

STASIMVS

Vivónt, valent.

CHARMIDES

Némpe uterque?

STASIMVS

Vtérque.

CHARMIDES

Di me sálvom et servatúm volunt.
Caétera intus ótiose percontabor, quaé volo.
Eámus intro: séquere.

STASIMVS

Quo tu agís te?

CHARMIDES

Quonam, nísi domum?

V. 1076 Acidalius Trin. cap. 8.
V. 1077. Bentleius ad Ter. Hëaut. II. 3, 3.

STASIMVS

Híccine nos habitáre censes?

CHARMIDES

Vbinam ego alibi cénseam?

STASIMVS

Iám

CHARMIDES

Quid iam?

STASIMVS

Non súnt nostrae aedes ístae.

CHARMIDES

Quid ego ex te aúdio?

STASIMVS

Véndidit tuus nátus aedis.

CHARMIDES

Périi.

STASIMVS

Praesentáriis

Argenti mínis numeratis.

CHARMIDES

Quót?

STASIMVS

Quadraginta.

CHARMIDES

Óccidi.

Quís eas emit?

STASIMVS

Cállicles, quoi tuám rem commendáveras,
Ís habitatum huc cómmigravit, nósque exturbavít foras.

CHARMIDES

Vbi nunc filiús meus habitat?

STASIMVS

Híc, in hoc postículo.

CHARMIDES

Mále disperii.

STASIMVS

Crédidi aegre tíbi id, ubi audissés, fore.

CHARMIDES

Égo miser meís periclis súm per maria máxuma
Véctus capitalí periclo, pér praedones plúrimos
Mé servavi, sálvos redii: núnc hic disperií miser
Própter eosdem, quórum caussa fui hác aetate exércitus.
Ádimit animam mi aégritudo. Stásime, tene me.

STASIMVS

Vísne aquam
Tíbi petam?

CHARMIDES

Res quom ánimam agebat, tum ésse offusam opórtuit.

SCENA V.

CALLICLES, CHARMIDES, STASIMVS.

CALLICLES

Quid hoc híc clamoris aúdio ante aedís meas?

CHARMIDES

O Cállicles, o Cállicles, o Cállicles.
Qualíne amico méa commendaví bona?

V. 1092. Nonius in v. aetas p. 192. Dousa IV. 25. Guliel-mius Trin. cap. 3.

CALLICLES

Probo ét fideli, et fído, et cum magná fide:
Et sálve, et salvom te ádvenisse gaúdeo.

CHARMIDES

Credo ómnia istaec, sí ita est, ut tu praédicas.
Sed quis íste est tuus ornátus?

CALLICLES

Ego dicám tibi.
Thesaúrum effodiebam íntus, dotem, fíliae
Tuae quaé daretur. séd narrabo intús tibi
Et hóc et alia. séquere.

CHARMIDES

Stasime.

STASIMVS

En.

CHARMIDES

Strénue
Curre ín Piraeum, atque únum curriculúm face.
Vidébis iam illic návem, qua advectí sumus.
Iubéto Sangariónem, quae imperáverim,
Curáre, ut efferántur: et tu itó simul.
Solútumst portitóri iam portórium.

STASIMVS

Nihil ést morae.

CHARMIDES

I nunc, ámbula. actutúm redi.

STASIMVS

Illíc sum atque hic sum.

CALLICLES

Séquere tu hac me intró.

V. 110. Acidalius Trin. cap. 8.

CHARMIDES

Sequor.

STASIMVS

Hic méo hero amicus sólus firmus réstitit,
Neque démutavit ánimum de firmá fide.
Sed hic únus, ut ego súspicor, servát fidem.
Quamquám labores múltos ob rem herí mei
Et líberum eius eum égo cepisse cénseo.

ACTVS V.

SCENA I.

LYSITELES

Híc homo est hominum ómnium antepoténs voluptatibus gaúdiisque.
Cómmode ea, quae cúpio, eveniunt: quód ago, assequitur, súbest, subsequitur.
Íta mihi gaúdiis gaúdium súppetit.
Ac me Stasimus Lésbonici sérvos convenít modo:
Ís mihi dixit, súum herum peregre huc ádvenisse Chármidem.
Núnc mi is propere cónveniundust, út, quae cum eius fílio
Égi, ei rei fundús pater sit pótior. eo iam. séd fores
Haé sonitu suó moram mihi óbiciunt incómmode.

V. 115. Acidalius Trin. cap. 8.
V. 118. Palmerius spicil. p. 883.

SCENA II.

CHARMIDES, CALLICLES, LYSITELES, LESBONICVS.

CHARMIDES

Néque fuit, neque erít, neque esse quemquam hóminum in terra dum árbitror,
Quoí fides fidélitasque amícum erga aequiperét suum:
Nam éxaedificavísset me ex his aédibus, absque té foret.

CALLICLES

Sí quid amicum ergá bene feci, aut cónsului fidéliter,
Nón videor meruísse laudem: cúlpa caruisse árbitror.
Nám beneficium, quód datur homini própriúm, pro proprió perit:
Quód datum utendúmst, repetundi id cópia est, quandó velis.

CHARMIDES

Ést ita, ut tu dícis. sed ego hoc néqueo mirarí satis,
Eúm sororem déspondisse suam ín tam fortem fámiliam,
Lysiteli quidém Philtonis fílio.

LYSITELES

Enim me nóminat.

V. 1130. 1131. Acidalius Trin. cap. 8.
V. 1133. Nónius in v. fortis p. 306.

CHARMIDES

Fámiliam optumam óccupavit.

LYSITELES

Quíd ego cesso hos cólloqui?
Séd maneam etiam, opínor: namque hoc cómmodum orditúr loqui.

CHARMIDES

Váh.

CALLICLES

Quid est?

CHARMIDES

Oblítus intus dúdum tibi sum dícere:
Módo mi advenientí nugator quídam accéssit óbviam,
Nímis pergraphicus sycophanta: is mílle nummum se aúreum
Meó datu tibi férre, et gnato Lésbonico aibát meo:
Quem égo nec qui esset nóram, neque eum ante úsquam conspexí prius.
Séd quid rides?

CALLICLES

Meo állegatu vénit, quasi qui aurúm mihi
Férret abs te, quód darem tuae gnátae dotem: ut fílius
Túus, quando illi a mé darem esse allátum id abs te créderet,
Neú qui rem ipsam pósset intellégere, et thesaurúm tuum
Mé esse penes, atque eum á me lege pópuli patrium pósceret.

V. 1135. Nonius in v. occupatus p. 356.
V. 1139. Gulielmius Pseud. cap. 2.

CHARMIDES

Scíte edepol.

CALLICLES

Megarónides commúnis hoc meus ét tuus
Bénevolens comméntust.

CHARMIDES

Quin collaúdo consilium, ét probo.

LYSITELES

Quíd ego ineptus, dúm sermonem véreor interrúmpere,
Sólus sto; nec, quód conatus sum ágere, ago? homines cólloquar.

CHARMIDES

Quís hic est, qui huc ad nós incedit?

LYSITELES

Chármidem socerúm suum
Lysiteles salútat.

CHARMIDES

Di dent tíbi, Lysiteles, quaé velis.

CALLICLES

Nón ego sum dignús salutis?

LYSITELES

Ímmo salve, Cállicles.
Húnc priorem aequóinst me habere. túnica propior pállio est.

CHARMIDES

Deós volo consília vobis vóstra recte vórtere.
Fíliam meam tíbi desponsam esse aúdio.

V. 1153. Nonius p. 497. Acidalius Trin. cap. 8. Gulielmius Trin. cap. 2.
V. 1155. Acidalius Trin. cap. 8.
V. 1156. Nonius in v. nevult p. 144.

LYSITELES

Nisi tú nevis.

CHARMIDES

Immo haud nolo.

LYSITELES

Spónden' ergo tuám gnatam uxorém mihi?

CHARMIDES

Spóndeo, et mille aúri Philippum dótis.

LYSITELES

Dotem níl moror.

CHARMIDES

Si ílla tibi placét, placenda dós quoque est, quam dát tibi.

Póstremo hoc, quod vís, non duces, nísi illud, quod non vís, feres.

CALLICLES

Iús hic orat.

LYSITELES

Ímpetrabit te ádvocato atque árbitro. Ístac lege fíliam tuam spónden' mi uxorém dari?

CHARMIDES

Spóndeo.

CALLICLES

Et ego spóndeo idem.

LYSITELES.

Oh, sálvete affinés mei.

CHARMIDES

Átque edepol sunt rés, quas propter tíbi tamen succénsui.

V. 1159 — 1165. Acidalius Trin. cap. 8.

CALLICLES

Quíd ego feci?

CHARMIDES

Meúm conrumpi quía perpessu's fílium.

CALLICLES

Si íd mea voluntáte factumst, ést quod mihi succénseas.
Séd sine me hoc abs te ímpetrare, quód volo.

CHARMIDES

Quid id ést?

CALLICLES

Scies.
Sí quid stulte fécit, ut ea míssa facias ómnia.
Quíd quassas capút?

CHARMIDES

Cruciatur cór mi, et metuo.

CALLICLES

Quídnam id est?

CHARMIDES

Quóm ille ita est, ut ésse nolo, id crúcior: metuo, sí tibi
Dénegem, quod me óras, ne me léviorem erga té putes.
Nón gravabor. fáciam ita, ut vis.

CALLICLES

Próbus es. eo, ut illum évocem.

CHARMIDES

Míserumst, male promérita, ut merita, sí mi ulcisci nón licet.

CALLICLES

Áperite hoc, aperíte propere, et Lésbonicum, sí domist,

Évocate: ita súbitumst, propere quód eum conventúm volo.

LESBONICVS

Quís homo tam tumúltuoso sónitu me excivít foras?

CALLICLES

Bénevolens tuus átque amicust.

LESBONICVS

Sátine salve? díc mihi.

CALLICLES

Récte. tuum patrém redisse sálvom peregre gaúdeo.

LESBONICVS

Quís id ait?

CALLICLES

Ego.

LESBONICVS

Tún' vidisti?

CALLICLES

Et túte idem videás licet.

LESBONICVS

Ó pater, patér mi, salve.

CHARMIDES

Sálve multum, gnáte mi.

LESBONICVS

Sí quid tibi, patér, laboris?

CHARMIDES

Níhil evenit, né time:

V. 1175. Acidalius Trin. cap. 8.
V. 1177. Donatus ad Eun. V. 6, 8.
V. 1178. Acidalius Trin. cap. 8.
V. 1181. 1182. Bentleiu s adTer. Heaut. I. 1, 30.

Béne re gesta sálvos redeo: sí tu modo frugi ésse vis,
Haéc tibi pactast Cállicli huius fília.

LESBONICVS

Ego ducám, pater:
Étiam et si quam aliám iubebis.

CHARMIDES

Quámquam tibi succénsui.

CALLICLES

Míseria una uní quidem homini est áffatim.

CHARMIDES

Immo huic ést parum.
Nám si pro peccátis centum dúcat uxorés, parum'st.

LESBONICVS

At iam posthac témperabo.

CALLICLES

Dícis: si faciés modo.

LESBONICVS

Númquid caussae est, quín uxorem crás domum ducam?

CHARMIDES

Óptumumst.
Tu ín perendinúm paratus sís ut ducas. Plaúdite.

V. 1185. 1186. Gulielmius Trin. cap. 2. Acidalius Trin. cap. 8.
V. 1188. Acidalius Trin. cap. 8.

VAL
1552336